





2871



PRO ECCLESIA LEGIONENSI  
EJUSQUE DI $\Theta$ CESI,  
PROPRIA SANCTORUM  
OFFICIA

*à Sacré Rituum Congregatione diligenter recognita,*

ET A CLEMENTE VIII PONT. MAX. APPROBATA.



*Expensis ejusdem Ecclesiae.*

MATRITI:

EX TYPOGRAPHIA MICHAELIS DE BURGOS.

—  
1830.

LAURENTIA - 1877 - FONDATION

*NOS DON MANUEL FERNANDEZ VARELA,  
Arcediano de Madrid , dignidad de la Santa Iglesia  
Catedral de Toledo , primada de las Españas , Cabal-  
lero Gran Cruz de la Real distinguida Orden Es-  
pañola de Carlos III , Individuo nato de la Real  
Junta de la Inmaculada Concepcion , y Juez exactor  
y Colector General de las pensiones consignadas á la  
misma Orden , del Consejo de S. M. , su Predicador  
y Comisario Apostólico General de las tres gracias de  
Cruzada , Subsidio y Escusado en todos los Rei-  
nos y Señorios de S. M. C. , Juez privativo del Nue-  
vo Rezado , su impresion , tasa , venta y distribu-  
cion , &c.*

Por quanto , y en virtud de nuestro mandato de treinta  
y uno de agosto del año próximo pasado , se ha reimpre-  
so en la imprenta de don Miguel de Burgos , á instan-  
cia del V. Dean y Cabildo de la Santa Iglesia Catedral  
de Leon , el cuaderno de los Santos propios de aquella  
diócesis : por certificacion del P. Juan Cayetano Losada  
de la Virgen del Carmen , corrector nombrado , su fecha  
en el Colegio de las Escuelas Pías de san Fernando de es-  
ta corte á quince de abril pasado de este año , consta ha-  
llarse en todo conforme al que ha servido de original ; y  
por otra de Fr. Antonio Manzanares , Administrador ge-  
neral del Nuevo Rezado en esta corte por el Real Mo-  
nasterio de san Lorenzo del Escorial , se acredita haberse  
satisfecho la regalía que corresponde en virtud de Bulas  
Pontificias y Cédulas Reales á dicho Real Monasterio .  
Por tanto , usando en esta parte de nuestras facultades ,

damos licencia al V. Dean y Cabildo de la Santa Iglesia Catedral de Leon, para que pueda vender y venda al Clero de aquella diócesis al precio de seis reales vellon cada ejemplar del cuaderno de los Santos propios de aquel obispado, que de nuestra orden se ha reimpresso en la imprenta de Burgos. Y mandamos que esta nuestra licencia se ponga al principio de cada ejemplar, y que ningun impresor, librero, ni otra persona le pueda imprimir, ni reimprimir, pena de doscientos ducados aplicados para santos fines de Cruzada. Dado en Madrid á treinta de junio de mil ochocientos treinta.

*D. Manuel Fernandez Varela.*

Por mandado de S. E.

*Antonio Casado.*

---

---

# OFFICIA PROPRIA

## SANCTORUM

### ALMAE ECCLESIAE LEGIONENSIS.

---

#### DIE XXIII JANUARII.

*In festo S. Ildefonsi Archiepiscopi Toletani Confessoris. Duplex.*

*Omnia ut in Breviario Romano.*

---

#### DIE VI FEBRUARII.

*In festo Sancti Andreæ Corsini Episcopi & Confessoris. Semiduplex.*

*Omnia ut in Breviario Romano.*

---

#### DIE I MARTII.

*In festo S. Angeli Custodis. Duplex majus.*

AD VESPERAS.

Aña. **M**ittet Dominus

Angelum suum tecum, & diriget viam tuam.

*Psalm. Dixit Dominus....*

A

*Aña.* Angelus meus vobis-  
cum est, ipse autem exqui-  
ram animas vestras.

*Psalm.* Confitebor.....

*Aña.* Angeli Sancti sem-  
per custodiunt nos, ut dig-  
num Deo exhibeamus obse-  
quium.

*Psalm.* Beatus vir.....

*Aña.* Angeli Domini Do-  
minus benedicte in aeter-  
num.

*Psalm.* Laudate pueri.....

*Aña.* Angeli, Archange-  
li, Throni, et Dominationes,  
Principatus, & Potestates,  
Virtutes cœlorum, laudate  
Dominum de cœlis.

*Psalm.* Laudate Dominum  
omnes gentes.....

*Capitulum.* Exod. 23.

Ecce ego mittam Ange-  
lum meum, qui præcedat  
te, & custodiat in viâ, & in-  
troducat in locum quem præ-  
paravi.

*Hymnus.*

Tibi Christe, splendor Patris,  
Vita, virtus cordium,  
In conspectu Angelorum,  
Votis, voce psallimus,  
Alternantes concrepando  
Melos damus vocibus.  
Collaudamus venerantes  
Omnes cœli milites,

Sed præcipuè custodem  
Missum nobis cœlitùs,  
Inimicum in virtute  
Conterentem Zabulum.

Quo custode procul pelle,  
Rex Christe piissime,  
Omne nefas inimici,  
Mundo corde, et corpore,  
Paradiso redde tuo  
Nos solâ clementiâ.

Gloriam Patris melodis  
Personemus vocibus:  
Gloriam Christo canamus,  
Gloriam Paraclito:  
Qui trinus et unus Deus  
Extat ante sœcula. Amen.  
¶ Angelis suis Deus man-  
davit de te.

¶ Ut custodiant te in om-  
nibus viis tuis.

### AD MAGNIFICAT.

*Aña.* In conspectu gen-  
tium nolite timere; vos enim  
in cordibus vestris adorate, &  
timete Deum: Angelus enim  
ejus vobiscum est.

*Oratio.*

Deus, qui miro ordine An-  
gelorum ministeria homi-  
numque dispensas; concede  
propitius, ut à quibus tibi mi-  
nistrantibus in cœlo semper  
assistitur, ab his in terrâ vita

nostra muniatur. Per Dominum.

*Deinde fit commemoratio Feriae, si venerit in Quadragesima.*

℣. Scuto circumdabit te veritas ejus. ℟. Non timebis à timore nocturno.

### AD MATUTINUM.

*Invitatorium.* Regem Angelorum Dominum. \* Venite adoremus.

*Psalmus.* Venite exultemus.....

*Hymnus.* Tibi Christe....

*Ut supra ad Vesperas.*

### IN PRIMO NOCTURNO.

*Aña.* Dominus Deus cœli & terræ, ipse mittet Angelum suum coram te.

*PSALMUS 8.*

Domine Dominus noster,  
\* quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua\* super celos.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos,\* ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo cœlostuos,  
opera digitorum tuorum: \* lu-

nam & stellas quæ tu fundasti:

¶ Quid est homo quod memor es ejus? \* aut filius hominis quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, gloriâ, & honore coronasti eum; \* et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, \* oves, et boves universas; insuper & pecora campi;

Volucres cœli, & pisces maris, \* qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster,  
\* quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

*Aña.* Dominus Deus cœli & terræ, ipse mittet Angelum suum coram te.

*Aña.* Laudemus Dominum, quem laudant Angeli, quem Cherubim, & Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant.

*PSALMUS 10.*

In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: \* Transmigra in montem sicut passer.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parave-

runt sagittas in pharetrâ,\* ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti destruxerunt: \* justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo, \* Dominus in cœlo sedes ejus:

Occuli ejus in pauperem respiciunt: \* palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum & impium: \* qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores lacheos: \* ignis, et sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, & justitas dilexit: \* æquitatem vedit vultus ejus.

*Aña.* Laudemus Dominum, quem laudant Angeli, quem Cherubim, & Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant.

*Aña.* Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli.

#### Psalmus 14.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? \* aut quis requiescat in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, \* & operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo, \* qui non egit dolum in lingua suâ:

Nec fecit proximo suo malum, \* et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: \* timentes autem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo, & non decipit: \* qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit:

Qui facit hæc, \* non movebitur in æternum.

*Aña.* Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli.

¶. Stetit Angelus juxta aram templi.

¶. Habens thuribulum aureum in manu suâ. Pater noster.....

*Abs.* Exaudi Domine.....

¶. Jube domne.....

*Benedictio.* Benedictione perpetuâ.....

Ex Daniele Prophetâ.

*Lectio 1. Cap. VII, 9.*

Aspiciebam donec throni

positi sunt, & antiquus di-  
erum sedit: vestimentum ejus  
candidum quasi nix, & ca-  
pilli capitis ejus quasi lana  
munda: thronus ejus flam-  
mæ ignis: rotæ ejus ignis ac-  
census. Fluvius igneus rapi-  
dusque egrediebatur à facie  
ejus. Millia millium minis-  
trabant ei, & decies millies  
centena millia assistebant ei:  
judicium sedit, & libri aper-  
ti sunt. Aspiciebam propter  
vocem sermonum grandium,  
quos cornu illud loquebatur:  
& vidi quoniam imperfecta es-  
set bestia, & periret corpus  
ejus, & traditum esset ad  
comburendum igni.

¶. Non accedet ad te ma-  
lum, & flagellum non appro-  
pinquabit tabernaculo tuo: \*  
Quoniam Angelis suis man-  
davit de te, ut custodiant te  
in omnibus viis tuis. ¶. In  
manibus portabunt te, ne for-  
tè offendas ad lapidem pe-  
dem tuum. Quoniam.....

*Benedictio. Unigenitus Dei  
Filius.....*

*Lectio 2. Cap. X, 4.*

Die autem vigesimâ, &  
quartâ mensis primi eram  
juxta fluvium magnum, qui  
est Tigris. Et levavi oculos

meos, & vidi: & ecce vir  
unus vestitus lineis, et renes  
ejus accincti auro obrizo: &  
corpus ejus quasi chrysoli-  
thus, & facies ejus velut spe-  
cies fulguris, & oculi ejus  
ut lampas ardens: & bra-  
chia ejus, & quæ deorsum  
sunt usque ad pedes, quasi  
species æris carentis. Et vox  
sermonum ejus, ut vox mul-  
titudinis. Vidi autem ego Da-  
niel solus visionem: porrò vi-  
ri qui erant mecum non vi-  
derunt: sed terror nimius ir-  
ruit super eos, & fugerunt  
in absconditum. Ego autem  
relictus solus vidi visionem  
grandem hanc: & non re-  
mansit in me fortitudo, sed  
& species mea immutata est  
in me, & emareui, nec ha-  
bui quidquam virium.

¶. Stetit Angelus juxta aram  
templi, habens thuribulum  
aureum in manu suâ: & da-  
ta sunt ei incensa multa: \* Et  
ascendit fumus aromatum de  
manu Angeli in conspectu  
Domini.

¶. In conspectu Angelorum  
psallam tibi: adorabo ad tem-  
plum sanctum tuum, & con-  
fitebor nomini tuo, Domine.

Et ascendit....

*Benedictio.* Spiritus Sancti gratia.....

*Lectio 3.*

Et audivi vocem sermonum ejus: et audiens jacebam consternatus super faciem meam, et vultus meus hærebat terræ. Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum. Et dixit ad me: Daniel vir desideriorum, intellige verba quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo: nunc enim sum missus ad te. Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens. Et ait ad me: Noli metuere Daniel: quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi virginem et uno diebus: & ecce Michael, unus de principibus primis, venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxta regem Persarum. Veni autem ut docerem te quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus, quoniam adhuc visio in dies.

¶. In conspectu Angelorum psallam tibi, & adorabo ad templum sanctum tuum, \* Et confitebor nomini tuo Domine.

¶. Super misericordiam tuam, & veritatem tuam; quoniam magnificasti super nos nomen sanctum tuum. Et confitebor.... Gloria Patri..... Et confitebor.....

*IN SECUNDO NOCTURNO.*

*Ana.* Mitte, Domine, Angelum tuum bonum ante nos in timore brachii tui, ut metuant qui oderunt nos.

*Psalmus 18.*

Cœli enarrant gloriam Dei, \* et opera manuum ejus anuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, \* & nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones, \* quorum non audiuntur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: \* & in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: \* & ipse, tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam, \* à summo cœlo egressio ejus:

Et occursus ejus usque ad summum ejus: \* nec est qui se abscondat à calore ejus.

Lex Domini immaculata convertens animas: \* testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiae Domini rectæ, lætificantes corda: \* præceptum Domini lucidum illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: \* judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum: \* & dulciora super mel & favum.

Etenim servus tuus custodit ea, \* in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: \* & ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: \* & emundabor à delicto maximo.

Et erunt ut complacent eloquia oris mei: \* & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus, \* & redemptor meus.

*Aña.* Mitte, Domine, Angelum tuum bonum ante nos in timore brachii tui, ut metuant qui oderunt nos.

*Aña.* Angeli Domini comitentur nobiscum, ut benè ambulemus in viam rectam.

### Psalmus 23.

Domini est terra & plenitudo ejus: \* orbis terrarum, & universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: \* & super flumina præparavit eum.

*Quis ascendet in montem Domini?* \* aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde, \* qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: \* & misericordiam à Deo salutari suo.

Hæc est generatio quaren-  
tium eum, \* quærantium fa-  
ciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ aeternales, \* & introibit Rex gloriæ.

*Quis est iste Rex gloriae?* \*

Dominus fortis & potens:  
Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes  
vestras, & elevamini portæ  
æternales, \* & introibit Rex  
gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ?  
\* Dominus virtutum ipse est  
Rex gloriæ.

*Aña.* Angeli Domini co-  
mitentur nobiscum, ut be-  
nè ambulemus in viam rec-  
tam.

*Aña.* Immittet Angelus  
Domini in circuitu timen-  
tium eum: & custodit eos.

*Psalmus 33.*

Benedicam Dominum in  
omni tempore: \* semper laus  
ejus in ore meo.

In Domino laudabitur ani-  
ma mea: \* audiant mansue-  
ti, & latentur.

Magnificate Dominum me-  
um: \* & exalteamus nomen  
ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, &  
exaudivit me: \* & ex omni-  
bus tribulationibus meis eri-  
puit me:

Accedite ad eum, & illu-  
minamini: \* & facies vestræ  
non confundentur.

Iste pauper clamavit, &  
Dominus exaudivit eum: \* &

de omnibus tribulationibus  
ejus salvavit eum.

Immittet Angelus Domini  
in circuitu timentium eum: \*  
& eripiet eos.

Gustate, & videte quoniam  
suavis est Dominus: \* beatus  
vir qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes  
sancti ejus: \* quoniam non est  
inopia timentibus eum.

Divites eguerunt, & esu-  
rierunt: \* inquirentes autem  
Dominum non minuentur  
omni bono.

Venite filii, audite me: \* ti-  
morem Domini docebo vos.

Quis est homo, qui vult  
vitam, \* diligit dies videre  
bonos?

Prohibe linguam tuam à  
malo: \* & labia tua ne lo-  
quantur dolum.

Diverte à malo, & fac bo-  
num: \* inquire pacem, & per-  
sequere eam.

Oculi Domini super jus-  
tos: \* & aures ejus in preces  
eorum.

Vultus autem Domini su-  
per facientes mala: \* ut per-  
dat de terrâ memoriam eo-  
rum.

Clamaverunt justi, & Do-  
minus exaudivit eos: \* & ex-

omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde: \* & humiles spiritu salvabit.

Multae tribulationes justorum: \* & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: \* unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: \* & qui oderunt justum delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum: \* & non delinquent omnes qui sperant in eo.

*Aña.* Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum; & custodit eos.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

℟. De manu Angeli. Pater noster.....

*Absol.* Ipsi pietas.....

℣. Jube domne.....

*Bened.* Deus Pater Omnipotens.....

De expositione S. Bernardi Abbatis in Psalmum nonagesimum.

*Lectio 4. Serm. 12.*  
Angelis suis mandavit de

te. Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit? Studiosè consideremus, fratres, diligenter commendemus memoriae hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? Cujus sunt Angelii, cujus mandatis obtemperant, cujus obediunt voluntati? Nempè Angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis: nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo majestas mandavit Angelis, & Angelis suis mandavit; illis utique sublimibus, tam beatis, tam proximè sibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, & verè domesticis Dei, mandavit de te. Tu quis es? Quasi verò non sit homo putredo, & filius hominis vermis.

℟. Custodivit me Angelus Domini, & hinc euntem, & ibi commorantem, et inde huc revertentem. \* Et non permisit me Dominus coquinari.

℣. Sed sine pollutione peccati revocabit me vobis gaudentem in victoria sua, in evasione mea, & liberatione

vestra? Et non permisit.....  
 : Benedictio. Christus per-  
 petuae.....

## Lectio 5.

Sed, quid putas mandavit de te? Numquid scripsit contra te amaritudines? Numquid ut contra folium, quod vento rapitur, ostendant potentiam suam, & stipulam siccum persequantur? Numquid ut tollant impium ne videat gloriam Dei? Mandandum istud est, non mandatum. Itaque Angelis suis mandavit de te ut custodiant te. Preciosum depositum nobis commiserat, fructum crucis suae, premium sanguinis sui: non est contentus custodiâ hac tam parum tutâ, tam parum utili, tam fragili, tam insufficienzi: super muros tuos, Jerusalem, constituit custodes, nempè etiam ipsi qui videntur muri, aut in muro ipso columnæ, his custodibus egent, & maximè.

¶ Posuit Dominus castra sua in medio populi sui. \* Ut eripiant nos de manu omnium inimicorum nostorum.

¶ Fuerunt Jacob obviam Angeli Dei, quos cum vidisset

ait: Castra Dei sunt haec. Ut eripiant.....  
 : Benedictio. Ignem sui amoris.....

## Lectio 6.

Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? Reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodiâ. Cautè ambula, ut videlicet cui adsunt Angeli (sicut eis mandatum est) in omnibus viis tuis: in quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habere. Tu ne audeas illo præsente quod vidente me non auderes. Cæterum et si tam parvuli sumus, et tam magna nobis, nec modò tam magna, sed & tam periculosa via restat, quid tamen sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt; quid trepidamus? Tantum sequamur eos, adhaereamus eis, et in protectione Dei cœli commoremur.

¶ Sancti Angeli custodes

nostri defendite nos in prælio.

\* Ut non pereamus in tremendo judicio.

¶ Vos autem Angeli Sancti, milites Dei, cœlorum cives, custodes hominum, defendite nos semper. Ut non..... Gloria Patri..... Ut non.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

*Aña.* Angeli eorum semper vident facient Patris, qui in cœlis est.

### Psalmus 95.

Cantate Domino canticum novum: \* cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicte nomini ejus: \* annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus: \* in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: \* terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dili gentium dæmonia: \* Dominus autem cœlos fecit.

Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus: \* sancti-

monia & magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem: \* afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, & introite in atria ejus: \* adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur à facie ejus universa terra: \* dicite in gentibus quia Dominus regnabit.

Etenim correxit orbem terræ qui non commovebitur: \* judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus: \* gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum à facie Domini, quia venit: \* quoniam venit iudicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, \* & populos in veritate suâ.

*Aña.* Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cœlis est.

*Aña.* Adorate Dominum omnes Angeli ejus: audivit, & lætata est Sion.

*Psalmus 96.*

Dominus regnavit , exultet terra , \* lætentur insulæ multæ.

Nubes , & caligo in circuitu ejus : \* justitia , & judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet , \* & inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : \* vidit , & commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini ; \* à facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus : \* & viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes , quia adorant sculptilia : \* & qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus : \* audivit , & lætata est Sion.

Et exultaverunt filiae Iudeæ ; \* propter judicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram : \* nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum , odite malum : \* custodit Dominus animas sanctorum suo-

rum , de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo: \* & rectis corde lætitia.

Lætaminijusti in Domino: \* & confitemini memoriae sanctificationis ejus.

*Aña.* Adorate Dominum omnes Angeli ejus : audivit , & lætata est Sion.

*Aña.* Benedicite Dominum omnes Angeli ejus , potentes virtute , facientes verbum illius , ad audiendam vocem sermonum ejus.

*Psalmus 102.*

Benedic , anima mea , Domino : \* & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.

Benedic , anima mea , Domino : \* & noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : \* qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam : \* qui coronat te in misericordia , & miserationibus.

Qui replet in bonis desideriis tuum : \* renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Faciens misericordias Dominus , \* judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moy-  
si, \* filiis Israël voluntates  
suas.

Miserator, & misericors  
Dominus: \* longanimis, &  
multūm misericors.

Non in perpetuum irasce-  
tur: \* nequè in aeternum com-  
minabitur.

Non secundūm peccata nos-  
tra fecit nobis: \* nequè se-  
cundūm iniquitates nostras  
retribuit nobis.

Quoniam secundūm alti-  
tudinem cœli à terra, \* corro-  
boravit misericordiam suam  
super timentes se.

Quantūm distat ortus ab  
occidente, \* longè fecit à no-  
bis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater  
filiorum, misertus est Domi-  
nus timentibus se: \* quoniam  
ipse cognovit figmentum nos-  
trum.

Recordatus est quoniam  
pulvis sumus: \* homo sicut  
fœnum dies ejus, tamquam  
flos agri sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransi-  
bit in illo, & non subsistet: \*  
& non cognoscet amplius lo-  
cum suum.

Misericordia autem Domi-  
ni ab aeterno, \* & usque in

aeternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios fi-  
liorum, \* his qui servant tes-  
tamentum ejus.

Et memores sunt manda-  
torum ipsius: \* ad faciendum  
ea.

Dominus in cœlo paravit  
sedem suam: \* et regnum ip-  
sius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes  
Angeli ejus: \* potentes virtute,  
facientes verbum illius,  
ad audiendam vocem sermo-  
num ejus.

Benedicite Domino omnes  
Virtutes ejus: \* ministri ejus  
qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia  
opera ejus: \* in omni loco domi-  
nationis ejus benedic, anima  
mea, Domino.

*Aña.* Benedicite Domi-  
num omnes Angeli ejus, po-  
tentest virtute, facientes ver-  
bum illius, ad audiendam vo-  
cem sermonum ejus.

℣. In conspectu Angelorum  
psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum  
sanctum tuum, et confitebor  
nomini tuo.

Pater noster.....

*Absolutio.* A vinculis.....

℣. Jube domne.....

*Benedictio. Evangelica lectio.....*

**Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.**

*Lectio 7. Cap. 18.*

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis, putas, major est in regno cœlorum? Et reliqua.

**Homilia S. Hieronymi Presbyteri.**

*Lib. 2, Comment. in cap. 18 Matthæi.*  
Post inventum staterem, post tributa redditia, quid sibi vult Apostolorum repentina interrogatio: Quis, putas, major est in regno cœlorum? Quia viderant pro Petro, & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretii arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus: ideo interrogant quis major sit in regno cœlorum. Vidensque Jesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens, vult desiderium gloriæ, humilitatis contentionem sanare.

*R. In conspectu gentium nolite timere: vos enim in*

cordibus vestris adorate, & timete Dominum. \* Angelus enim ejus vobiscum est.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu suâ.

Angelus enim.....

*Benedictio. Quorum festum colimus.....*

*Lectio 8.*

Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscede eum, & projice abs te. Necessè est quidem venire scandala: væ tamen ei est homini, qui quod necessè est ut fiat in mundo, vitio suo facit ut per se fiat. Igitur omnis truncatur affectus, & universa propinquitas amputatur, ne per occasionem pietatis unusquisque credentium scandalis pateat. Si, inquit, ita est, quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, & est utilis atque solitus, & acutus ad perspiciendum; scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius est ut & propinquitate ejus & emolumenis carnalibus careas, ne dum vis lucrificare cognatos, & neces-

sarios, causam habeas ruinarum.

**R.** Mittit Dominus Sanctos Angelos suos, ut nos præcedant per diem & noctem.  
\* Et ostendant nobis viam viæ, & sint duces itineris nostri in omni tempore.

**V.** Angelis suis mandavit de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris. Et ostendant..... Gloria Patri.....  
Et ostendant.....

*Si hoc festum venerit in Quadragesima, nona lectio legitur de Homilia feriae occurrentis, & de ea fit commemoratio in Laudibus.*

### Lectio 9.

Dico vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei. Supradixerat, per manum & pedem, & oculum omnes propinquitates & necessitudines, quæ scandalum facere poterant, amputandas: austerritatem itaque sententiae subjecto præcepto temperat, dicens: Videte ne contemnatis unum ex pusillis istis. Sic, inquit, præcipio severitatem, ut commisceri clementiam doceam: quia Angeli eorum in cœlis vident semper faciem Patris. Magna dignitas

animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Unde legimus in Apocalypsi Joannis: Angelo Ephesi, & reliquarum Ecclesiarum, scribe hæc. Apostolus quoque præcipit velari capita in Ecclesiis fœminarum propter Angelos.

Te Deum laudamus.....

### AD LAUDES ET PER HORAS.

**Aña.** Mittet Dominus Angelum suum tecum, & dirigeget viam tuam.

**Psalmus.** Dominus regnabit.... Cum reliquis de Dominicâ ut in Psalterio.

**Aña.** Angelus meus vobiscum est, ipse autem exquiram animas vestras.

**Aña.** Angeli sancti semper custodiunt nos, ut dignum Deo exhibeamus obsequium.

**Aña.** Angeli Domini Dominum benedicite in æternum.

**Aña.** Angeli, Archangeli, Throni, & Dominationes, Principatus, & Potestates, Virtutes cœlorum, laudate Dominum de cœlis.

*Capitulum. Exod. 23.*

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in viâ, & introducat in locum quem præparavi.

*Hymnus.*

Christe, Sanctorum decus Angelorum,  
Rector humani generis, &  
Auctor,  
Nobis æternum tribue benignus

Scandere cœlum.

Angelum nostræ regimen salutis

Cælitùs mitti rogitamus omnes:

Nobis ut crebrò veniente crescent

Prospera cuncta.

Hinc Dei nostri genitrix Maria,

Totus & nobis Chorus Angelorum,

Semper assistat, simul & beata Concio tota.

Præstet hoc nobis Deitas beata Patris, ac Nati, pariterque Sancti

Spiritus, cujus reboat in omni Gloria mundo, Amen.

¶. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.

¶. Et eripiet eos.

*AD BENEDICTUS.*

*Aña.* Benedictus Deus, qui misit Angelum suum, & eruit servos suos, qui crediderunt in eum.

*Oratio.*

Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas: concede propitius, ut à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terrâ vita nostra muniatur. Per Dominum.

*AD TERTIAM.*

*Aña.* Angelus meus.

*Capitulum.* Ecce ego mittam. *Ut suprà.*

¶. brev. Stetit Angelus \* Juxta aram templi. Stetit.....

¶. Habens thuribulum aureum in manu suâ. Juxta.....

Gloria Patri.... Stetit.....

¶. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

¶. De manu Angeli.

*AD SEXTAM.*

*Aña.* Angeli Sancti.

*Capitulum. Exod. 23.*

Observa Angelum meum,  
& audi vocem ejus, nec con-  
temnendum putas, quia non  
dimitteret cum peccaveris, &  
est nomen meum cum illo.

*R. brev.* Ascendit fumus  
aromatum \* In conspectu Do-  
mini. Ascendit..... *V.* De ma-  
nu Angeli. In conspectu.....  
Gloria Patri..... Ascendit fu-  
mus.....

*V.* In conspectu Angelor-  
um psallam tibi, Deus meus.

*R. Adorabo ad templum*  
sanctum tuum, & confitebor  
nomini tuo.

## AD NONAM.

*Aña.* Angeli, Archangeli.

*Capitulum. Exod. 23.*

Quod si audieris vocem  
ejus, & feceris omnia quæ  
loquor, inimicus ero inimicis  
tuis, & affligam afflgentes te,  
præcedetque te Angelus meus.

*R. brev.* In conspectu An-  
gelorum, \* Psallam tibi, Deus  
meus. In conspectu.... *V.* Ado-  
rabo ad templum sanctum  
tuum, & confitebor nomini  
tuo. Psallam tibi..... Gloria  
Patri..... In conspectu.....

*V.* Adorate Deum.

*R. Omnes Angeli ejus.*

## IN SECUNDIS VESPERIS.

*Aña.* Mittet Dominus.....  
*Cum reliquis de Laudibus.*

*Psalm.* Dixit Dominus.....  
*Cum reliquis de Dominica, & lo-  
co ultimi*

*Psalmus 137.*

Confiteortibi, Domine, in  
toto corde meo: \* quoniam  
audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum  
psallam tibi: \* adorabo ad  
templum sanctum tuum, &  
confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, &  
veritate tua: \* quoniam mag-  
nificasti super omne, nomen  
sanctum tuum.

In quacumque die invoca-  
vero te, exaudi me: \* multi-  
plicabis in anima mea vir-  
tutem.

Confiteantur tibi, Domine,  
omnes reges terræ: \* quia au-  
dierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini:  
\* quoniam magna est gloria  
Domini.

Quoniam excelsus Domi-  
nus, & humilia respicit: \* &  
alta à longè cognoscit.

Si ambulavero in medio  
tribulationis, vivificabis me:

\* & super iram inimicorum  
meorum extendisti manum  
tuam, & salvum me fecit  
dextera tua.

Dominus retribuet pro me:  
Domine misericordia tua in  
sæculum: \* opera manum tua-  
rum ne despicias.

*Capitulum.* Ecce ego mit-  
tam.....

*Hymnus.* Tibi Christe.....  
*Ut supra.*

v. In conspectu Angelorum  
psallam tibi, Deus meus.

v. Adorabo ad templum

sanctum tuum, & confitebor  
nomini tuo.

### AD MAGNIFICAT.

*Aña.* Videte ne contem-  
natis unum ex his pusillis: di-  
co enim vobis quia Angeli  
eorum semper vident faciem  
Patris mei, qui in cœlis est.

*Oratio.* Deus, qui miro or-  
dine.....

*Deinde fit commemoration S.  
Rudesindi, translati, & fe-  
riæ si venerit in Quadra-  
gesima.*

## DIE III MARTII.

*In festo Sanctorum Hemeterii, & Celedonii Marty-  
rum Fratrum Legionensium. Duplex.*

*Omnia ut in Breviario Romano, in Sanctis Hispaniæ.*

## DIE XI MARTII.

*In festo Sancti Vincentii Abbatis, & Martyris.  
Duplex.*

*Omnia de communi unius Martyris, præter ea quæ hic  
sunt propria.*

*Oratio.*  
Prästa quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui beati Vincentii Abbatis, & Martyris tui natalitia colimus, inter-

cessione ejus in cuius nominis amore roboremur. Per Dominum.....

*Deinde fit commemoration Fe-  
riæ.*

## IN PRIMO NOCTURNO.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos.

*Lectio 1. Cap. VIII, c.*

Fratres, Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, mori emini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorifemur. Existimo enim quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat.

*b). Iste sanctus pro lege Dei*

sui certavit usque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit: \* Fundatus enim erat supra firmam petram.

¶. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad coelestia regna. Fundatus.....

*Lectio 2.*

Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos praescivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnnet? Christus Jesus, qui mortuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

R. Justus germinabit sicut lilium: \* et florebit in æternum ante Dominum.

V. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Et florebit.....

*Lectio 3.*

Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (Sic cum scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: aestimati sumus sicut oves occisionis). Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

R. Iste cognovit justitiam, & vidit mirabilia magna, & exoravit Altissimum: \* Et inventus est in numero sanctorum.

V. Iste est qui contempsit vitam mundi & pervenit ad

coelestia regna. Et inventus est..... Gloria Patri..... Et inventus est.....

*IN SECUNDO NOCTURNO.*

*Lectio 4.*

Vincentius, Abbas Hispanus, cum in Legionensi urbe Arianorum hæresim fortiter impugnaret; nec ullis vel persuasionibus vel minis à Catholicæ fidei assertione revocari posset, ab iis comprehensus & palam verberibus cæsus, in carcerem conjicitur. Sed, cum propterea eamdem hæresim insectari non desisteret, è carcere eductus, à furentibus Arianis ante fores sui Monasterii crudeliter peremptus est. Cujus corpus Monachi moerentes honorificè sepelierunt. Martyrium autem subiit quinto idus Martii, anno Christi sexcentesimo trigesimo.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem æternam. V. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit illi.....

*Lectio 5.*

Sermo S. Augustini Episcopi.

*Sermo 44 de Sanctis.*

Triumphalis beati Martyris Vincentii dies hodiè nobis anniversariâ celebritate recurrat: cujus glorificationi sicut congaudet Ecclesia, sic ejus proponit sequenda vestigia. Si enim compatimur, & glorificabimur. In cujus glorioso agone duo nobis præcipue consideranda sunt: induata videlicet tortoris sævitia, & Martyris invicta patientia; sævitia tortoris, ut eam detestemur: patientia Martyris, ut eam imitemur. Audi Psalmistam adversùs malitiam increpantem: Noli æmulari in malignantibus: quoniam tamquam foenum velociter arescent. Quod autem adversùs malignantes patientia exhibenda sit, audi Apostolum suadentem: Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones.

*R.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei, Domine: \* Et voluntat elabiorum ejus non fraudasti eum. *V.* Quoniam prævenisti eum in benedictioni-

bus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.....

*Lectio 6.*

Coronata itaque est beati Martyris patientia; mancipata est æternis cruciatibus tortoris incorrecta malitia. Hoc attendens in agone suo glriosus Christi athleta, non exhorruit carcerem. Ad imitationem capitis sui toleravit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit: & quot ante mortem pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propinante Apostolo biberat, altè retinebat: Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis; et quia momentaneum hoc & leve nostræ tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur in cœlis. Hujus promissionis amore à terrenis suspensus, & prægustatæ supernæ suavitatis dulcedine ineffabiliter affectus, dicebat cum Psalmista: Quid mihi est in coelo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

¶. Stolâ jucunditatis induit eum Dominus: \* Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus: ¶. Cibavit illum Dominus pane vitae, & intellectus: & aquâ sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam..... Gloria Patri..... Et coronam.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

#### *Lectio 7. Cap. XVI d.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget se met ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ.

#### *Homilia 32 in Evangelia.*

Quia Dominus ac Redemptor noster novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo. Vitæ etenim nostræ veteri in vitiis enutritæ contrarietatem opposuit novitatis suæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo noverat, nisi sua retinere, aliena rape-

re, si posset; concupiscere, si non posset? Sed cœlestis medicus singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem.

¶. Corona aurea super caput ejus: \* Expressa signo sanctitatis, gloriâ honoris, & opus fortitudinis. ¶. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de la pide pretioso. Expressa.....

#### *Lectio 8.*

Certè cum se sequentibus nova mandata proponeret, dixit: Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ac si apertè dicat: Qui per vitam veterem aliena concupiscitis, per novæ conversationis studium & vestra largimini. Quid verò in hac lectione dicat audiamus: Qui vult post me venire, abneget se met ipsum. Ibi dicitur ut abne-

gemus nostra: hic dicitur ut abnegemus nos. Et fortassè laboriosum non est homini relinquere sua: sed valdè laboriosum est relinquere semet ipsum. Minus quippe est abnegare quod habet: valdè autem multùm est abnegare quod est.

R. Hic est verè martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit, \* Qui minas judi-

cum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. V. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas.... Gloria Patri..... Qui minas.....

*Lectio nona legitur de Homilia feriae occurrentis, & de ea fit commemoration in Laudibus.*

## DIE XVI APRILIS.

*In festo Sancti Thuribii, Episcopi & Confessoris.  
Duplex.*

*Omnia de communi Confessoris Pontificis, præter ea quæ hic sunt propria.*

### Oratio.

**E**xaudi quæsumus, Domine, preces nostras, quas in beati Thuribii Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus; & qui tibi dignè meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.....

*In primo Nocturno lectiones de Scriptura occurrente, si ce-*

*lebretur post Pascha: si verò in Quadragesima, de communi Confessoris non Pontificis.*

### IN SECUNDO NOCTURNO.

#### *Lectio 4.*

*Ex Ecclesiasticis Hispaniae monumentis, Leone Papa, Concilio Bracarens. primo, & Roma- no Martyrologio.*

Thuribius Asturicensis Episcopus, atque Sancti Leonis

Papæ Notarius , vir fuit eruditio ne , & pietate insignis , Catholicæque fidei propagator , & hæreticorum insectator acerrimus . Is , Priscilliam hæresim in Hispaniâ iterum pullulan tem , ope Sancti Leonis Papæ , quem de eâ certum reddiderat , penitus extinxit . Ejus verò tuendi Dominici gregis pastoralem vigilantiam , ac sollicitudinem commendans , ipse idem sanctissimus Pontifex Leo , hanc ad ipsum sribens Epistolam misit .

R. Inveni David servum meum , oleo sancto meo unxi eum : \* Manus enim mea auxiliabitur ei . ¶ Nihil proficiet inimicus in eo , & filius iniuritatis non nocebit ei . Manus enim.....

### Lectio 5.

Quàm laudabiliter pro Catholicæ fidei veritate movearis , & quàm sollicitè Dominico gregi devotionem officii pastoralis impendas , tradita nobis per Diaconum tuum fraternitatis tue scripta demonstrant , quibus notitiae nostræ insinuare curasti , qualis in regionibus vestris de antiquæ pestilentiae reliquiis erro-

rūm morbus exarserit . Nam & Epistolæ sermo , & com monitorii series , & libelli tui textus demonstrat , Priscillianistarum fœtidissimam apud vos recaluisse sententiam . Et in calce : Deditus itaque litteras ad fratres , & Coepiscopos nostros Tarragonenses , Cartaginenses , Lusitanos , atque Gallicos , eisque Concilium Synodi generalis indiximus .

R. Posui adjutorium super potentem , & exaltavi electum de plebe meâ : \* Manus enim mea auxiliabitur ei . ¶ Inveni David servum meum , oleo sancto meo unxi eum . Manus.....

### Lectio 6.

Ad tuæ dilectionis sollicitudinem pertinebit , ut nostræ ordinationis auctoritas ad prædictarum provinciarum Episcopos deferatur . Si autem aliquid (quod absit) obstiterit quo minùs possit celebrari generale Concilium Gallicæ , saltem in unum convenient sacerdotes , quibus congregatis , fratres nostri Hydatius , & Ceponius imminebunt , conjuncta cum eis instantia tua , quo citius , vel provinciali con ventu remedium tantis vul-

neribus adferatur. Demum, miraculorum laude clarus, cum Ecclesiam sibi commissam sanctissimè administrasset, quievit in pace. Ejus corpus religiosè in Ecclesiâ sancti Martini asservatur, quæ Ecclesia sancti Thuribii de Liebanâ hodiè nuncupatur.

**R.** Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus repleta est: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populum. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat..... Gloriâ Patri..... Ipse intercedat.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Lectio 7. Cap. XXIV d.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi.

*Comment. in Matt. can. 26 in fine.*

Ut ignorantiam illam diei

omnibus taciti, non sine utilis silentii ratione esse sciremus, vigilare nos Dominus propter adventum furis admonuit, & orationum assiduitate detentos, omnibus præceptorum suorum operibus inhærere. Furem enim esse ostendit zábulum, ad detrahenda ex nobis spolia pervigilem, & corporum nostrorum domibus insidiantem, ut ea incuriosis nobis, & somno deditis, consiliorum suorum atque illecebrarum jaculis perfodiat. Paratos igitur esse nos convenit: quia diei ignoratio intentam sollicitudinem suspensæ expectationis exagit.

**R.** Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.....

*Lectio 8. Can. 27.*

Quisnam est fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Quamquam in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur, speciale tamen populi principibus, id est Episcopis, in ex-

pectatione, adventuque suo sollicitudinem mandat. Hunc enim servum fidelem atque prudentem, præpositum familiæ significat, commoda atque utilitates commissi sibi populi curantem. Qui si dicto audiens, & præceptis obediens erit, id est, si doctrinæ opportunitate, & veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, depravata convertat, & verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispensat, atque hæc agens, hisque immorans deprehendatur: gloriam à Domino tamquam dispensator fidelis, & villicus utilis consequetur, & super omnia bona constituetur; id est, in Dei gloria collocabitur, quia nihil sit ultrà quod melius sit.

R). Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: \* Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis. V. Vigilate ergo, quia nescitis quâ

horâ Dominus vester venturus sit. Et vos..... Gloria Patri..... Et vos.....

*Si celebretur in Quadragesima, nona lectio legitur de homilia feriæ occurrentis, & de ea sit commemoration in Laudibus.*

### Lectio 9.

Quod si contuens longam Dei patientiam, quæ in profectum humanæ salutis extenditur, adversum conservos insolescet, & seculi malis vitiisque se tradet, præsentium tantum curam in cultu ventris exercens: desperatâ die Dominus adveniet, eumque à bonis quæ spoponderat, dividet, portionemque ejus cum hypocritis in pœnæ æternitate constituet: quia adventum desperaverit, quia mandatis non obtemperaverit, quia præsentibus studuerit, quia vita gentium vixerit, quia desperatione iudicii commissam sibi familiam fame, siti, cæde vexaverit.

Te Deum laudamus.....

---

## FERIA V POST OCTAVAM PASCHÆ.

*Celebratur festum Sancti Isidori Archiepiscopi Hispalensis Confessoris, Ecclesiæ Doctoris, & Regni Legionensis Patroni. Duplex primæ clasis cum octavâ in civitate tantùm.*

*Omnia de commun. Confes. Pontificis præter propria.*

*In hymno Iste Confessor mutatur tertius versus.*

AD MAGNIFICAT, *In utrisque Vesperis.*

*Aña.* O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Isidore, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei. Alleluia.

*Oratio.*

Deus qui populo tuo æternæ salutis beatum Isidorum ministrum tribuisti: præsta quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum nostrum.....

IN PRIMO NOCTURNO.

De Libro Ecclesiastici.

*Lectio I.*

Sapientiam omnium anti-

quorum exquireret sapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conservabit, & in versutias parabolarum simul introibit. Occulta proverbiorum exquireret, & in absconditis parabolarum conversabitur. In medio magnatorum ministrabit, & in conspectu præsidis apparebit. In terram alienigenarum gentium pertransiet: bona enim, & mala in hominibus tentabit.

*R. Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutam: \* Intra in gaudium Domini tui. Alleluia. v. Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Intra.....*

*Lectio 2.*

Cor suum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiae replebit illum, & ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiae suae, & in oratione confitebitur Domino: & ipse diriget consilium ejus, & disciplinam, & in absconditis suis consiliabitur.

R. Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo: \* Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Alleluia. v. Benedictiōnem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmavit super caput ejus. Ideo jurejurando.....

*Lectio 3.*

Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, & in lege testamenti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi sapientiam ejus, & usque in seculum non delebitur. Non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem. Sa-

pientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enuntiatibit Ecclesia.

R. Juravit Dominus, & non pœnitiebit eum: \* Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Alleluia. v. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Tu es.... Gloria Patri.... Tu es.....

## IN SECUNDO NOCTURNO.

*Ex S. Braulio Episcopo Cæsar-Augustano, & aliis.*

*Lectio 4.*  
Isidorus natione Hispanus, Hispaniarum Doctor egregius, ex novâ Carthagine, cui pater ipsius Severianus dominabatur, à sanctis viris Leandro Archiepiscopo Hispalensi, & Fulgentio Episcopo Astigitano, fratribus suis, sanctè, & liberaliter in studio litterarum educatus est, & ingentem doctrinam latinè, græcè, atque hebraicè cum magna nominis claritate consecutus. Hic, adolescens adhuc, hæresim Ariānam, quæ gentem Gothorum Hispaniæ latissimè dominantem penitus jam pri-

dem invaserat, tām constanter palam arguebat, ut propē fuerit ut ab Arianis necaretur. Sed cohibitus à Leandro, hunc sibi successorem fore præsagiente, & se ut commodiori tempore reservaret admonitus, indignationem temperavit.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia. v. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocabit ei. Manus.....

*Lectio 5.*

Igitur Leandro vitâ functo, Isidorus magno regis Recaredi, & populi consensu in Hispanensi Archiepiscopatu sufficitur. Quam electionem sanctus Gregorius Papa confirmavit, eique pallium misit in Hispaniam. Quantūm vèrò Pontifex factus fuerit constans & humilis, patiens & benignus, compatiens miseris & pauperibus, & cunctis virtutibus insignitus, nullius lingua sufficeret ad narrandum. Construxit monasteria, & collegia ædificavit: in quibus, studiis sacris, & divinis lectionibus vacans, plurimos

discipulos, qui ad eum confluabant, erudivit: inter quos fuit beatus Ildefonsus, Toletanæ Ecclesiæ postea Archiepiscopus. Scripsit librum Etymologiarum, & sacri Canonis libros plurimos commentatus est, & tot tantaque alia volumina scripsit, ut humana vix vita tantis suffectura laboribus videatur. Sed qui Deo student, nihil non proclivè sentiunt, nihil frustrâ conantur, nihil non ex voto consequuntur.

R. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe meâ: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia. v. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.....

*Lectio 6.*

Fuit deniqvè Isidori tanta doctrinæ ac sanctitatis opinio, ut, coacto Concilio generali, ultrò fuerit à Pontifice maximo vocatus: ubi mirum est, quantum ponderis & auctoritatis habuerit in singulis rebus Isidori sententia apud Pontificem, & omnes Prælatos. Reversus autem in Hispaniam, cum suam mortem, & Hispaniæ vastationem à

Saracenis publicè prædixisset, migravit è vita pridiè Nonas Aprilis, anno Domini sexcentesimo trigesimo quinto, Sisenando in Hispaniâ regnante. Cujus corpus sepultum primò Hispali, deindè translatum fuit in urbem Legionem à Ferdinando primo Castellæ simul & Legionis Rege, qui illuc ab Eneto Saraceno Hispali regnante magnis precibus, & premiis impetravit: cuius nomine templum ædificatum est Legione: ubi sepultus, miraclis clarus colitur magnâ populi religione.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus repleta est. \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. Alleluia. V. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat..... Gloria Patri..... Ipse intercedat.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis

sal terræ; quod si sal evanuerit in quo salietur? Ad nihilum valet ultrà, nisi ut mitatur foras, & conculceretur ab hominibus. Et reliqua.

Homilia sancti Isidori Episcopi.

*Ex Lib. 3 sent. cap. 36.*

Tam doctrinâ quam vitâ clarere debet Eclesiasticus Doctor; nam doctrina sine vitâ arrogantem reddit: vita fine doctrinâ inutilem facit. Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est, ita ut quod docet verbo, instruat exemplo. Vera est illa doctrina, quam vivendi sequitur forma: nam nihil turpius est, quam si bonum, quod quisque sermone prædicat, ex parte opere negligat. Tunc enim utiliter prædicatio profertur, quando efficaciter adimpletur.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriae induit eum: \* Et ad portas paradisi coronavit eum. Alleluia. V. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad.....

*Lectio 8.*  
Unusquisque prædicator, &

bonæ actionis, & bonæ prædicationis habere debet studium: nam alterum sine altero non facit perfectum. Omnis utilis Doctor plebis subiectis ita se præstare debet, atque insistere doctrinæ, ut quantò claret verbo, tantò clarescat & merito. Nam quod Apostolus Timotheo præcipit, cum omni imperio docere; non hortatur ad tumorem superbiæ, sed ad bonam actionem, & vitæ auctoritatem; videlicet, ne libertatem præberet peccandi, si benè doceret, & male viveret.

R). In medio Ecclesiæ aperuit os ejus: \* Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus. Alleluia.  
V. Jucunditatem, & exultationem thesaurizavit super eum.

Et implevit..... Gloria Patri..... Et implevit....

*Lectio 9.*

Undè, & Dominus: Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & sic docuerit, minimus erit in Regno cœlorum. Vides quod auctoritate magisterii caret, qui quod docet non facit: sicut in numismate metallorum figura & pondus inquiritur, ita in omni Doctore Ecclesiastico, quid sequatur, quid doceat, quomodo vivat. Per qualitatem igitur metalli, doctrina; per figuram, similitudo patrum; per pondus, humilitas designatur: qui verò ab his tribus discrepaverit, non metallum sed terra erit.

Te Deum laudamus....

## SECUNDA DIE INFRA OCTAVAM SANCTI ISIDORI.

**IN PRIMO NOCTURNO** leguntur *lectiones de Scriptura occurrente.*

### IN SECUNDO NOCTURNO.

*Lectio 4.*

Sermo Sancti Isidori Episcopi.

Clericos vocari ajunt, eo

quod in sortem hereditatis Domini dentur, vel pro eo quod Dominus sors illorum est: sicut de his scriptum est, loquente Domino: Ego hereditas eorum. Undè oportet

ut qui Deum hereditate possident, absque ullo impedimento seculi Deo servire studeant, & pauperes spiritu esse contendant, ut congruè illud Psalmistæ dicere possint: Dominus pars hereditatis meæ. His igitur lege Patrum cavetur, ut à vulgari vitâ seclusi, à mundi voluptatibus se absteinant, nec spectaculis, nec pompis intersint; convivia publica fugiant: privata non tantum pudica, sed & sobria colant: usuris nequaquam incumbant, neque turpium occupationes lucrorum, fraudisque cujusquam appetant studium, amorem pecuniae, quasi materiam cunctorum criminum fugiant.

R. Inveni David servum um, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia. ¶ Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.....

### Lectio 5.

Secularia officia, negotia que abjicunt: honorum gradus per ambitionem non subeant; pro beneficiis medicinae Dei munera non accipient: dolos & conjurations ca-

veant: odium, æmulationem, obtrectationem, atque invidiam fugiant: non vagis oculis, non infreni linguâ, aut petulantî, tumidoque gressu incedant; sed pudorem, ac verecundiam mentis simplici habitu, incessuque ostendant: obscoenitatem etiam verborum, sicut operum, penitus execrentur.

R. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe meâ: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia. ¶ Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.....

### Lectio 6.

Viduarum, & Virginum visitationes frequentissimas fugiant: contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetant: castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conservare studeant: senioribus quoque debitam obedientiam præbeant; neque ullo jactantiæ studio semetipsos attollant. Postremò in doctrinâ, in lectionibus, psalmis, hymnis, canticis exercitio iugi incumbant: tales enim esse debent qui divinis cultibus se mancipandos student

exhibere , scilicet , ut dum scientiae operam dant , doctrinæ gratiam populo administrent.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est , & omnis terra doctrinam ejus repleta est : \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populum . Alleluia . V. Iste est qui contempsit vitam mundi , & pervenit ad coelestia regna . Ipse..... Gloria Patri..... Ipse.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

#### *Lectio 7.*

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Vos estis sal terræ: quod si sal evanuerit, in quo salietur ? Ad nihilum valet ultrà , nisi ut mitatur foras , & conculcetur ab hominibus . Et reliqua.

Homilia sancti Isidori Episcopi.

*Lib . 3. sent. cap. 37.*

Interdum Doctoris vitio etiam ipsa vera doctrina vilescit : quia dum non vivit sicut docet, ipsam, quam præ-

dicat, veritatem contemptibilem facit. Arcus perversus est lingua magistrorum docentium bene , & viventium male : et ideo quasi ex perverso arcu sagittam emittunt, dum suam pravam vitam propriæ linguæ ictu confodiunt.

R. Amavit eum Dominus , & ornavit eum , stolam gloriæ induit eum : \* Et ad portas paradisi coronavit eum . Alleluia . V. Induit eum Dominus loricam fidei , & ornavit eum . Et ad portas.....

#### *Lectio 8.*

Qui divina prædicant , & ex ejusdem prædicationis dignitate vivere minùs curant, habentes verbum Dei in ore , & opere non habentes, multa bene docentes , nihil autem operantes , imitantur Balaam ariolum, qui corruens opere , apertos habuit oculos ad contuendam lucem doctrinæ . Qui bene docet , & male vivit , tamquam æs aut cymbalum sonum facit aliis, ipse tamen sibi manet insensualis.

R. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus : \* Et implevit eum Dominus spiritu sapientiae , & intellectus . Alleluia . V. Jucunditatem , & exultationem

E

thesaurizavit super eum. Et implevit..... Gloria Patri.....  
Et implevit.....

*Lectio 9.*

*Lib. 2 de off. cap. 5 de Sacerdotibus.*

Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccatis debet esse alienus: nam, quā fronte subjectos arguere poterit, cum illi statim possit corruptus ingerere: Ante doce te quae recta sunt? Quapropter, qui negligit recta facere, desinat recta docere. Primitū quippe semetipsum corrigere debet, qui alios ad benē vivendum admonere studet, ita

ut in omnibus semetipsum formam vivendi præbeat, cunctosque ad bonum opus, & doctrinā, & opere provocet: cui etiam scientiam Scripturarum necessaria est: quia si Episcopi tantum sancta sit vita, sibi soli prodest sic vivens. Porrò, si & doctrinā & sermone fuerit eruditus, potest ceteros quoque instruere, & docere suos, & adversarios repercutere, qui nisi refutati fuerint, atque convicti, facile possunt simplicium corda pervertere.

Te Deum laudamus....

## TERTIA DIE INFRA OCTAVAM SANCTI ISIDORI.

IN PRIMO NOCTURNO *leguntur lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Lectio 4.*

Sermo S. Isidori Episcopi.

*Ex lib. 5 de Ecclesiasticis officiis.*

Presbyterorum ordo exordium sumpsit à filiis Aaron:

qui enim sacerdotes vocabantur in veteri Testamento, ii sunt qui nunc appellantur presbyteri: & qui nuncupabantur principes sacerdotum, nunc Episcopi nominantur. In novo autem Testamento post Christum, sacerdotalis or-

do in Petró Apostolo cœpit. Ipsi enim primū datus est Pontificatus in Ecclesiâ Christi. Sic enim loquitur ad eum Dominus: Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam ; & tibi dabo claves regni cœlorum. Hic ergo ligandi solvendi-que potestatem primū accepit; primusque ad fidem populum virtute suæ prædi-  
cationis adduxit.

v). Inveni David servum meum, oleo sancto meo uni-xi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia. v. Ni-hil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.....

### Lectio 5.

Presbyteri autem interpretantur seniores, quia seniores ætate græci presbyteros vocant. His enim, sicut Episcopis, dispensatio mysteriorum Dei commissa est: præ-sunt enim Ecclesiis Christi, & in confectione divinâ corporis & sanguinis consortes cum Episcopis sunt; similiter & in doctrinâ populorum, & in officio prædicandi; sed so-

la propter auctoritatem Summo Sacerdoti clericorum or-dinatio & consecratio conser-vata est, ne à multis Eccle-siæ disciplina vendicata con-cordiam solveret, scandala ge-neraret. Nam Paulus aposto-lus eosdem presbyteros, & ve-rè sacerdotes sub nomine E-piscoporum asserit, loquens ad Titum: Hujus rei, inquit, gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas; & con-stituas per civitates presbyte-ros, quemadmodùm ego ti-bi disposui. Si quis sine cri-mine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos; oportet enim Epis-copum sine crimine esse. Quâ sententiâ ostendit presbyter-um etiam sub Episcopi no-mine taxari. Undè, & ad Ti-motheum de ordinatione E-piscopi & Diaconi scribens, de presbyteris omnino tacuit, quia eos in Episcopi nomine comprehendit; secundus enim primo conjunctus gradus est: sicut ad Philipenses de Epis-copis & Diaconis scribit, cum una civitas plures Episcopos habere non possit.

v). Posui adjutorium super

potentem, & exaltavi electum de plebe meā: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia. ¶ Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.....

*Lectio 6.*

Presbyteros autem merito, & sapientiā dici, non aetate: nam Moysi praecepit Deus ut eligat presbyteros. Unde, & in Proverbiis dicitur; gloria senum canities. Quae est haec canities? Haud dubium quin sapientia, de qua scriptum est: Canities hominum prudentia est. Cumque nongentos, & amplius annos ab Adam usque ad Abraham vixisse homines legimus; nullus aliis primus appellatus est presbyter, id est, senior, nisi Abraham, qui multò paucioribus annis vixisse convinicetur. Non ergo propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur; quod si ita est, mirum cur insipientes constituantur.

¶. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinā ejus repleta est. \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populo-

rum. Alleluia. ¶. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat..... Gloria Patri..... Ipse intercedat.....

*IN TERTIO NOCTURNO.*

*Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.*

*Lectio 7. Cap. V.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ; quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

*Homilia sancti Isidori Episcopi.*

*Ex lib. 3 sent. cap. 43.*

Non omnibus una eademque doctrina est adhibenda; sed pro qualitate morum diversa exhortatio erit doctorum. Nam quosdam increpatio dura, quosdam verò exhortatio corrigit blanda: sicut periti Medici ad varios corporis morbos diverso medicamine serviunt, ita ut, juxta vulnerum varietates medicina diversa sit; sic & Doctor Ecclesiæ singularis quibusque hominibus con-

gruum doctrinæ remedium adhibebit, & quid cuique oporteat, pro ætate, pro sexu, ac professione annuntiabit.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi coronavit eum. Alleluia. v. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.....

*Lectio 8.*

Non omnibus ea quæ clausa sunt aperienda sunt: multi sunt enim qui capere non possunt, quibus si indiscretè manifestantur, statim aut detrahunt, aut negligunt. Prima prudentiæ virtus est, eam, quam docere oporteat, aestimare personam. Rudibus populis seu carnalibus, plana, atque communia, non summa atque ardua prædicanda sunt; ne immensitate doctrinæ opprimantur potius quàm erudiantur. Unde & Paulus Apostolus ait: Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. Carnalibus quippe animis, nec alta nimis de coelestibus,

nec terrena convenit prædicare, sed mediocriter, ut initia eorum, moresque desiderant edoceri.

R. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus: \* Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus. Alleluia. v. Jucunditatem, & exultationem thesaurizavit super eum. Et implevit.... Gloria Patri..... Et implevit.....

*Lectio 9.*

Corvus, dum suos pullos videt albi coloris, nullis eos cibis alit, sed tantumdem attendit, donec paterno colore nigrescant, & sic illos frequenti cibo reficit: ita & Ecclesiæ Doctor strenuus, nisi eos, quos docet, viderit ad suam similitudinem penitentiæ confessione nigrescere, &, nitore seculi deposito, lamentationis habitum de peccati recordatione induere; utopte adhuc exterioribus, hoc est, carnalibus, non aperit intelligentiæ spiritualis profundiora mysteria; ne dum auditæ non capiunt, priùs incipiunt contemnere quàm venerari mandata cœlestia.

Te Deum laudamus.....

---

## QUARTA DIE INFRA OCTAVAM SANCTI ISIDORI.

*Officium fit de Dominica secunda post Pascha cum commemoratione Octavæ.*

---

## QUINTA DIE INFRA OCTAVAM SANCTI ISIDORI.

IN PRIMO NOCTURNO, *lectio de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Lectio 4.*

Sermo Sancti Isidori Episcopi.

*Lib. 2 offic. cap. de Sacerdotib.*

**N**unc verò sæpè cernimus plurimos ordinationem talibus facere: nec eligunt qui Ecclesiæ prosint, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti; vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, & ut deterriora dicam, qui ut ordinentur muneribus impetraverunt: taceo de reliquis. Alii

successores filios vel parentes faciunt, & conantur posteris Praesulatus relinquere dignitatem, cum hoc nec Moyses amicus Dei facere potuit, sed Jesum de aliâ tribu elegit; ut sciremus, principatum in populo non sanguini deferendum esse, sed vitæ meritis. Interdum autem, & juxta meritum plebium, eliguntur personæ Rectorum. Unde noverint populi meriti sui fuisse, regimen perversi suscepisse Pontificis.

**R.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \*Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia. **V.** Ni-

hil proficiet inimicus in eo,  
& filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.....

*Lectio 5.*

Moyses in lege præcipit sacerdotibus ne aliquod pecus vitiatum ad aram Dei offerant; quod ipsum postea, serpentibus sacerdotibus Israel, per Malachiam improperavit Deus dicens: Vos autem sacerdotes, qui polluistis nomen meum, & dixistis: In quo polluimus te? offertis super altare meum panem pollutum; nonne si offeratis cæcum & languidum nonne malum est? Unde & in Numeris vitula rufa, cuius cinis expiatio est populi, non aliter jubetur offerri ad altare Domini, nisi quæ terrena opera non fecerit, jugumque delicti non traxerit, nec vinculis peccatorum fuerit alligata.

*R.* Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe meâ: \* Manus enim meâ auxiliabitur ej. Alleluia. *V.* Inveni David ser-  
vum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.....

*Lectio 6.*

Quapropter, quia lex pec-

catores à sacerdotio removet; consideret se unusquisque, & sciens quia potentes potenter patientur tormenta, retrahat se ab hoc, non tâm honore, quâm onere; & aliorum locum, qui digni sunt, non ambiat occupare. Qui enim in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis præserit, necesse est ut in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus.

*R.* Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus repleta est. \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. Alleluia. *V.* Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse..... Gloria Patri..... Ipse.....

*IN TERTIO NOCTURNO.*

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Lectio 7. Cap. VI.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis

sal terræ: quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

### Homilia Sancti Isidori Episcopi.

*Ex Lib. 3. sent. cap. 42.*

Qui præficitur ad regimen, taliter erga disciplinam subjectorum præstare se debet, ut non solùm auctoritate, verum etiam humilitate clarescat; sed tamen ita erit in eo virtus humilitatis, ne dissolvatur vita subditorum in vitiis, atque ita auctoritas adebit potestatis, ne per tumorem cordis, severitas existat immoderationis. Hæc est enim in Dei sacerdotibus vera discretio, qua nec per libertatem superbi, nec per humilitatem remissi sint.

¶. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriae induit eum: \* Et ad portas paradisi coronavit eum. Alleluia. ¶. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.....

*Lectio 8.*

Hinc est quod sancti cum

multâ constantiâ redarguerunt etiam Principum vitia; in quibus, cum summa esset humilitas, loco tamen necessario libere transgressores justitiae increpabant. Aliquando subditis nos oportet animo esse humiliiores; quoniam facta subditorum judicantur à nobis, nostra verò Deus iudicat. Agnoscat Episcopus se esse conservum plebis, non Dominum: verum hoc charitas, non conditio, exigit.

¶. In medio Ecclesiae aperuit os ejus: \* Et implevit eum Dominus spiritu sapientiae, & intellectus. Alleluia. ¶. Jucunditatem, & exultationem thesaurizavit super eum. Et implevit..... Gloria Patri..... Et implevit.....

*Lectio 9.*

*Lib. 2 offic. cap. 5. de Sacerdotibus.*

Ita contra delinquentes sermo est proferendus, sicut ejus qui corripitur expostulat salus. Quod si opus est aliquam medicamenti asperitatem verborum prædicatione aspergere, lenitatem tamen corde opus est retinere. Doctores nonnumquam durius feriunt increpationibus sub-

ditos, qui tamen à charitate eorum, quos corripiunt, non recedunt. Sepè Ecclesiæ censura arrogantibus videtur esse superbia, & quod à bonis

piè fit, crudeliter fieri putatur à pravis; quia non discernunt recto oculo quod à bonis recto fit animo.

Te Deum laudamus....

## SEXTA DIE INFRA OCTAVAM SANCTI ISIDORI.

**IN PRIMO NOCTURNO** *lectiones de Scriptura occurrente.*

**IN SECUNDO NOCTURNO.**

*Lectio 4.*

Sermo Sancti Isidori Episcopi.

*Lib. 2 Offic. cap. 5 de Sacerdotibus.*

Apostoli, latinâ linguâ Missi interpretantur; quia ipsos misit Christus evangelizare ad illuminationem omnium gentium. Episcopatus autem (ut quidam prudentium ait) nomen est operis, non honoris. Græcum est enim, atque indè ductum vocabulum, quod ille, qui super efficitur, superintendit, curam scilicet subditorum gerens; sopus quidem intentio est, er-

go Episcopos, latinè superintendentes possumus dicere; ut intelligat, non se esse Episcopum, qui non prodesse, sed præesse dilexerit.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia. V. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.....

*Lectio 5.*

Episcopi, qui sunt constituti per totum mundum in sedibus Apostolorum, qui non jam ex genere carnis, & sanguinis eliguntur sicut primum secundum ordinem Aaron: sed pro uniuscujusque vita, meritoque, quod in eum Dei gratia contulerit, sicut ad

Heli Dominus pronuntiavit dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel; Dux: Domus tua, & domus patris tui permanebunt coram me, usque in æternum; & nunc dicit Dominus; Nequaquam, sed glorificantes me glorificabo, & qui me spernit, spernetur.

¶. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe meâ: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia. ¶. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.....

### Lectio 6.

Jam verò quod seculares viri nequaquam ad ministrandum Ecclesiæ assumantur, eadem auctoritas Apostolica monet, & dicit: Manus citò nemini imposueris. Et iterum; Non neophytum, ne in superbiā elatus, putet se non tam ministerium humilitatis, quam administrationem secularis potestatis adeptum, & condemnatus superbiā, sicut diabolus per jactantiam dejiciatur. Quomodo enim valebit secularis homo sacerdotis magisterium adimplere, cuius nec officium tenuit, nec disciplinam agnovit? Aut quid

docere poterit, cum ipse non didicerit?

¶. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus repleta est: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populi- rum. Alleluia. ¶. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

### Lectio 7. Cap. V.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ; quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultrà, nisi ut mitatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

Homilia Sancti Isidori Episcopi.

### Ex lib. 3 sent. cap. 45.

Quibus docendi forma commissa est, multum subeunt periculi, si contradicentibus veritati resistere noluerint; dum Propheta Docto-

rem Ecclesiæ instruat ad summum usque justitiae pervenire, cum dicit: Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion: scilicet, ut ita præemineat merito, sicut & gradu; sequenter ne fortè debeat à docendo timore restringi, audiat: Exalta in fortitudine vocem tuam, & noli timere. Undè, & Jeremiæ ita Dominus ait: Accinge lumbos tuos, & surge, loquere ad eos, ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Undè appareat, quia & non timere donum Dei est. Qui personam potentis accipit, & veritatem loqui pertimescit, gravius culpæ mulctatur sententiâ.

R). Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi coronavit eum. Alleluia. V. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.....

### Lectio 8.

Quantò quisque in superiori constitutus est loco, tantò majori versatur in periculo; & quantò splendoris honore excelsior, tantò, si delinquit,

peccator est major. Potentes enim potenter tormenta patientur: cui etenim plus committitur, plus ab eo exigitur, etiam cum usurâ poenarum. Reges vitam subditorum facile exemplis suis vel ædificant, vel subvertunt. Ideoque Principem non decet delinquere, ne formam peccandi faciat peccati ejus impunita licentia. Nam Rex qui ruit in vitiis, citò viam ostendit erroris, sicut legitur de Jero-boam, qui peccavit, & pecare fecit Israel: illi namque adscribitur, quidquid exemplo ejus à subditis perpetrat.

R). In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, \* Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus. Alleluia. V. Jucunditatem, & exultationem thesaurizavit super eum. Et implevit eum..... Gloria Patri... Et implevit...

### Lectio 9.

Capite languente, cetera corporis membra inficiuntur. Undè & scriptum est: Omne caput languidum, & omne cor moerens, à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Caput enim lan-

guidum est Doctor agens peccatum, cuius malum ad corpus pervenit, dum eo vel peccante, vel pravè docente, pestifer languor ad plebem subditam transit. Deteriores sunt qui sive doctrinis, seu exemplis vitam, moresque bonorum corrumpunt, iis, qui substantias aliorum, prædictaque diripiunt: ii enim ea,

quæ extra nos sunt, sed tamen nostra auferunt: corruptores verò morum propriè nos ipsos diripiunt: quoniam divitiae justorum, mores eorum sunt; multùm ergo distant damna morum à damnis temporalium rerum: dum ista extra nos sunt, mores vero in nobis.

Te Deum laudamus.....

## SEPTIMA DIE INFRA OCTAVAM SANCTI ISIDORI.

IN PRIMO NOCTURNO *lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Lectio 4.*

Sermo Sancti Isidori Episcopi.

*Ex lib. 2 de offic. cap. 5 de Sacerdotibus.*

Tenebit quoque illam supereminentem donis omnibus charitatem, sine qua omnis virtus nihil est; custos enim sanitatis charitas; locus autem hujus custodis humilitas: habebit etiam inter haec om-

nia & castitatis eminentiam, ita ut mens Christo dedita ab omni inquinamento carnis sit munda & libera. Inter haec oportebit cum sollicita dispensatione curam pauperum gerere, esurientes pascere, vestire nudos, suscipere peregrinos, captivos redimere, viduas ac pupillos tueri; per vigilem in cunctis exhibere curam; providentiam habere, & distributione discretâ.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea

auxiliabitur ei. Alleluia. v. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocet ei. Manus.....

*Lectio 5.*

In quo etiam hospitalitas ita erit praecipua, ut omnes cum benignitate, & charitate suscipiat. Si enim omnes fideles illud Evangelicum audire desiderant: Hospes fui, & suscepistis me; quanto magis Episcopus, cuius diversorum eunctorum debet esse receptaculum? Laicus enim unum, aut duos suscipiens implevit hospitalitatis officium; Episcopus, si non omnes suscepit, inhumanus est.

v. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe meā. \* Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia. v. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.....

*Lectio 6.*

Erit quoque illi etiam, juxta Apostolum, mansuetudo, patientia, sobrietas, moderatio, abstinentia sive pudicitia, ut non solū ab opere immundo se abstineat, sed etiam ab oculi, oris, & cogitationis errore; ita ut dum nullum

vitium in se regnare permittit, impetrare veniam subditorum facinoribus valeat. Qui enim ista sectatus fuerit, & Dei minister utilis erit, & perfectum sacerdotium consummabit.

v. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinā ejus repleta est. \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. Alleluia. v. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad coelestia regna. Ipse intercedat.....

**IN TERTIO NOCTURNO.**

**Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.**

*Lectio 7. Cap. V.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ: Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

**Homilia Sancti Isidori Episcopi.**

Multi Sacerdotes metu protestatis veritatem occultant,

& habentur rei, qui à bono opere, vel à justitiæ prædicatione, rei alicujus formidine, vel potestate terrente avertuntur. Sed heu, proh dolor! Indè metuunt, quia vel amore rerum secularium impllicantur, vel quia aliquo facinoris onere confunduntur. Multi præsules Ecclesiarum timentes ne amicitiam secularium perdant, & molestiam odiorum incurant, peccantes non arguunt, & corripiere pauperum oppressores verentur, non pertimescentes quod de veritate sint reddituri rationem, pro eo quod conticescunt de pleibus sibi commissis.

R). Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriae induit eum: Et ad portas paradisi coronavit eum. Alleluia. V. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.....

*Lectio 8.*

Sicut pervigil pastor contra bestias oves custodire solet, ita et Dei Sacerdos super gregem Christi sollicitus esse debet, ne inimicus vastet; ne persecutor infestet; ne potentioris cujusquam cupiditas vi-

tam pauperum inquietet. Prævi autem pastores non habent curam de ovibus: sed sicut legitur in Evangelio de mercenariis, vident lupum venientem, & fugiunt: Tunc enim fugiunt, quandò potentibus tacent, & malis resistere metuunt.

R). In medio Ecclesiæ aperuit os ejus: \* Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus. Alleluia. V. Jucunditatem, & exultationem thesaurizavit super eum. Et implevit.....

*Lectio 9.*

Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant; testante Domino ad Prophetam: Speculatorem dedi te domui Israel: si non fueris locutus, ut se custodiat impius à via suâ malâ, ille iniquitate suâ morietur, sanguinem autem ejus de manu tuâ requiram. Sic enim Heli sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est: & licet eos delinquentes admonuerit, sed tamen non ut oportebat redarguit.

Te Deum laudamus.....

---

## IN OCTAVA SANCTI ISIDORI.

*Omnia sicut in die præter lectiones primi Nocturni, quæ dicuntur de Scriptura occurrente.*

### IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex libro Moralium Sancti Gregorii Papæ. *Lib. 9 cap. 6.*

**Q**ui, post Orionas, Hyadum nomine, nisi Doctores sanctæ Ecclesiæ designantur? Qui subductis Martyribus, eo jam tempore ad mundi notitiam venerunt, quo fides clarius elucet: & repressâ infidelitatis hieme, altius per corda fidelium sol veritatis calet. Qui remotâ tempestate persecutionis, expletis longis noctibus infidelitatis; tunc sanctæ Ecclesiæ orti sunt, cum ei jam per credulitatis vernum lucidior annus aperitur.

**R.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \*Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluia. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.....

### Lectio 5.

Nec immeritò Doctores sancti Hyadum nuncupatione signantnr. Græco quippe eloquio hyetos pluvia vocatur: & Hyades nomen à pluviis acceperunt, quia ortæ proculdubio imbræ ferunt. Benè ergo Hyadum appellatio expressi sunt, qui ad statum universalis Ecclesiæ quasi in cœli faciem deducti, super arentem terram humani pectoris sanctæ prædicationis imbræ fuderunt. Si enim prædicationis sermo pluvia non esset, Moyses minimè dixisset: Expectetur sicut pluvia eloquium meum: & nequam per Isaïam Veritas diceret: Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbræ: atque hoc, quod paulò ante protulimus: Quamobrem prohibite sunt stellæ pluviarum.

**R.** Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum

de plebe meâ: \* Manus enim  
mea auxiliabitur ei. Allel. v.  
Inveni David servum meum,  
oleo sancto meo unxi eum.  
Manus enim....

*Lectio 6.*

Dum ergo Hyades cum  
pluviis veniunt, ad cœli spa-  
tia altiora sol ducitur: quia  
apparente Doctorum scientiâ,  
dum mens nostra imbre præ-  
dicationis infunditur, fidei  
calor augetur. Et perfusa ter-  
râ ad fructum proficit, cum  
lumen ætheris agnoscit; quia  
überius frugem boni operis  
reddimus, dum per sacræ  
eruditionis flammam in cor-  
de clarius ardemus. Dumque  
per eos diebus singulis mag-  
gis magisque scientia coles-  
tis ostenditur, quasi interni  
nobis luminis vernum tem-  
pus aperitur: ut novus sol  
nostris mentibus rutileat, &  
eorum verbis nobis cognitus,  
seipso quotidiè clarior micet.  
Urgente etenim mundi fine,  
superna scientia proficit, & lar-  
gius cum tempore excrescit.

R. Iste est qui ante Deum  
magnas virtutes operatus est,  
& omnis terra doctrinâ ejus  
repleta est. \* Ipse intercedat  
pro peccatis omnium popu-

lorum. Alleluia. v. Iste est  
qui contempsit vitam mundi,  
et pervenit ad cœlestia regna.  
Ipse... Gloria Patri..... Ipse...

**IN TERTIO NOCTURNO.**

**Lectio sancti Evangelii secun-  
dum Matthæum.**

*Lectio 7. Cap. 5.*

In illo tempore: Dixit Je-  
sus discipulis suis: Vos estis  
sal terræ. Quod si sal evane-  
rit, in quo salietur? Et reli-  
qua.

**Homilia Sancti Augustini  
Episcopi.**

*Lib. 1 de Sermone Dñi. in monte,  
cap. 6. tom. 4.*

Ostendit Dominus fatuos  
esse judicandos, qui tempo-  
ralium bonorum vel copiam  
sectantes, vel inopiam me-  
tuentes, amittunt æterna, quæ  
nec dari possunt ab homini-  
bus, nec auferri. Itaque si sal  
infatuatum fuerit, in quo sa-  
lietur? Id est, si vos, per quos  
condiendi sunt quodammodo  
populi, metu persecutionum  
temporalium amiseritis regna  
cœlorum; qui erunt homines,

per quos à vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat certorum.

¶. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum. \* Et ad portas paradisi coronavit eum. ¶. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas....

### Lectio 8.

Ergo ad nihilum valet sal infatuatum, nisi ut mittatur foras, & calcetur ab hominibus. Non itaque calcatur ab hominibus qui patitur persecutionem; sed qui persecutionem timendo infatuatur. Calcari enim non potest nisi inferior; sed inferior non est qui, quamvis corpore multa in terrâ sustineat, corde tamen fixus in cœlo est.

¶. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus: \* Et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus. ¶. Jucunditatem, & exultationem thesa-

rizavit super eum. Et implevit..... Gloria Patri..... Et implevit.....

### Lectio 9.

Vos estis lumen mundi. Quomodò dixit superius sal terræ, sic nunc dicit lumen mundi. Nam neque superius ista terra accipienda est quam pedibus corporeis calcamus; sed homines qui in terra habitant, vel etiam peccatores, quorum condiendis, & extinguendis putoribus Apostolicum salem Dominus misit. Et hic mundum, non cœlum, & terram; sed homines qui sunt in mundo, vel diligunt mundum, oportet intelligi, quibus illuminandis Apostoli missi sunt. Non potest civitas abscondi super montem posita: id est, fundata super insignem, magnamque justitiam, quam significat etiam ipse mons in quo disputat Dominus.

Te Deum laudamus....

## DIE XXVI JUNII.

*In festo Sancti Pelagii Martyris. Duplex.*

*Omnia de communi unius Martyris præter ea, quæ hic  
habentur propria.*

*Officium SS. Joannis & Pauli transfertur in diem sequentem, quæ  
si fuerit Dominica, transfertur post Octavas S. Joannis & Sancto-  
rum Apostolorum.*

**P**rästa, quæsumus omnipotens Deus, ut, intercedente beato Pelagio martyre tuo,

& à cunctis adversitatibus liberemur in corpore, & à pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum nostrum.....

**I**N PRIMO NOCTURNO *lectiones de Scriptura occurrente.*

**I**N SECUNDO NOCTURNO.

*Lectio 4.*

*Ex Raguele Presbytero scriptore.*

Pelagius, elegantissimæ formæ, atque expectatae virtutis puer, anno ætatis suæ decimo pro Ermoigio Tudensi Episcopo, cuius sobrinus erat, obses Habdarraghmam Ara-

bum Regi datus, Cordubæ in vinculis positus fuit, ubi trienium & sex menses detentus, totum illud tempus in sacris meditationibus, atque in comparandis virtutibus, Deique laudibus consumpsit. Cum quadam die egregia pueri forma Regi nuntiaretur, misit qui eum ad se regiâ indutum veste adducerent. Quem illico, ejus forma delectatus, muneribus, pollicitationibus ac blanditiis à religione Christianâ totis viribus avertere conatur. At verò Pelagius universa despiciens, ac irridenda esse intelligens: Quæ demonstras (inquit) o Rex, nihil sunt, & Christum non negabo: Christianus sum, fui, & ero. Hæc omnia finem habent; Christus autem, quem

colo, nescit habere finem, quia nec initium habet ullum: ipse namque est, qui cum Patre & Spiritu Sancto unus permanet Deus, qui nos ex nihilo fecit, & universâ potestate continet.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, & à seductoriis tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem aeternam. V. Descenditque cum illo in foream: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.....

*Lectio 5.*

Deindè, cum Rex ad sanctum puerum accedens, eo (quod vel audire nefas est) abuti tentaret: Tolle, canis, inquit ille, numquid me similem tui effeminatus existimas? Moxque vestimenta, quibus induitus erat, scindens, fortè Christi militem se esse declaravit, eligens dignè pro ejus gloriâ mori, quam turpiter virtus inquinari. Verum Rex ipsum adhuc suaderi posse ad quod volebat, arbitratus, quibusdam è suis præcepit ut eum à Christianæ religionis proposito blanditiis abducere studerent. Sed, cum ille in Christi fide cons-

tantior appareret, seque Christianum esse liberâ voce confiteretur, Christique præceptis perpetuò se obtemperatum assereret, Regis iusū immanissimè excruciatus est.

R. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: \* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. V. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate....

*Lectio 6.*

Rex enim ubi hæc cognovit, furenti irâ commotus, eum membratim scindi jussit: quod tormenti genus hilari vultu beatus puer sustinebat, ut qui mori pro Christo non recusabat. Ejus corpus in Bætim flumen, eodem impio Rege jubente, projectum, atque à fidelibus inventum, honorificè ad sepulturam delatum est. Nunc verò Oveti in Ecclesiâ monialium Sancti Benedicti, quæ Sancti Pelagii dicitur, magnâ religione asservatur. Complevit autem Sanctus Pelagius martyrium die Dominicâ, horâ decimâ, sexto Kalendas Julias,

anno nongentesimo vigesimo quinto.

R. Stolâ jucunditatis induit eum Dominus : \* Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. \* Cibavit illum Dominus pane vitæ , & intellectus , & aquâ sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam..... Gloria Patri..... Et coronam.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Lectio 7. Cap. XII, d.*

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Amen, amen dico vobis , nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

*Homilia Sancti Augustini  
Episcopi.*

*Tract. 51 in Joannem sub medium.*

Ipse Dominus Jesus erat granum mortificandum , & multiplicandum ; mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populum. Jam verò exhortans ad passionis suæ sectanda vestigia , Qui amat , inquit , ani-

mam suam perdet eam. Quod duobus modis intelligi potest. Qui amat, perdet: id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenere in Christo , noli mortem timere pro Christo. Item alio modo : Qui amat animam suam, perdet eam: noli amare ne perdas: noli amare in hac vitâ , ne perdas in æternâ vitâ.

R. Corona aurea super caput ejus : \* Expressa signo sanctitatis, gloriâ honoris, & opus fortitudinis. V. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.....

*Lectio 8.*

Hoc autem, quod posterius dixi, magis habere videtur Evangelicus sensus; sequitur enim : Et qui odit animam suam in hoc mundo , in vitam æternam custodit eam. Ergo , quod supra dictum est, qui amat (subintelligitur in hoc mundo) ipse utique perdet: qui autem odit (utique in hoc mundo) in vitam aeternam ipse custodit eam. Magna, & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor ut pereat;

odium ne pereat. Si malè amaveris, tunc odisti: si benè oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

¶. Hic est verè martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: \* Qui minas iudicum non timuit, nec terrena dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ¶. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas..... Gloria Patri..... Qui minas.....

### Lectio 9.

Sed vide ne tibi subrepatur te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam ma-

ligni atque perversi homines, & in se ipsis crudeliores, & sceleratiores homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitiose collidunt, & pereunt. Hoc Christus non docuit; immò etiam diabolo præcipitium suggestenti respondit: Reddi retro Satanás; scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificaturus erat Deum: Cum essem junior, cingebas te, & ambulabas quò volebas: cum autem senueris, alter te cinget, & feret quò tu non vis. Ubi satis expressit, non à se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.

Te Deum laudamus.....

## DIE XVI JULII.

*In festo Triumphi S. Crucis. Duplex majus.*

*Omnia ut in Breviario in Sanctis Hispaniæ.*

## DIE XVIII JULII.

*In festo commemorationis solemnis Beatae Virginis  
Marie de Monte Carmelo. Duplex majus.*

*Omnia ut in Breviario Romano.*

**DIE XXV JULII.**

*In festo Sancti Jacobi Apostoli, Hispaniarum præcipui Patroni. Duplex primæ clasis.*

*Omnia ut in Breviario in Sanctis Hispaniæ.*

---

**DIE XXVI JULII.**

*In festo Sanctæ Annæ, Matris B. Mariæ Virginis.  
Duplex.*

*Omnia ut in Breviario Romano.*

---

**DIE XI AUGUSTI.**

*In festo Translationis Sancti Froylani, Patroni nostri, Episcopi & Confessoris. Duplex.*

*Omnia ut in communi Confessoris Pontificis, præter ea quæ hic habentur propria.*

*Oratio.*

**E**xaudi, quæsumus Domine, preces nostras, quas in beati Froylani Confessoris tui atque Pontificis translatione deferimus: & qui tibi dignè meruit famulari, ejus interceden-

tibus meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.....

*In hymno Iste Confessor, ad Matutinum dicatur:*

Hac die lætus meruit supremos Laudis honores.

*Lectiones PRIMI NOCTURNI leguntur de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Lectio 4.*

In Hispaniae devastatione, cum res adhuc ex Barbarorum sententiâ succederent, fideles, quam diligentissimè poterant, sanctorum corpora servare conabantur. Quare Legionenses, metu Almanzoris Maurorum Regis, timentes ne Sancti Froylani præcipui eorum Patroni corpus Agareni contemptui haberent; illud ab Ecclesiâ Cathedrali sublatum, extra Civitatem in quadam Ecclesiâ Sancti Petri nomine Deo dicata, occultarunt. Indè in montem, ubi in solitudine diu sanctissimè vixerat, translatum. Demum per legatum Apostolicæ Sedis, in eamdem Cathedralem Ecclesiam restitutum, & à Legionensi bus summâ celebritate & lætitia exceptum, in majori altari honorificè in thecâ argenteâ reconditum est.

R). Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea au-

xiliabitur ei. v. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius ini-quitatis non nocebit ei. Manus enim....

Sermo Sancti Maximi Epis- copi.

*Homil. 59 quæ est 2 de S. Eusebio Vercellensi.*

*Lectio 5.*

Ad sancti ac beatissimi Patris nostri Froylani, cuius hodie translationem celebramus, laudes addidisse aliquid, decerpsisse est: siquidem virtutum ejus gratia non sermonibus exponenda est, sed operibus comprobanda. Cum enim dicat Scriptura: Gloria Patris est filius sapiens: quantæ hujus sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientiâ & devotione lætatur? In Christo enim Jesu per Evangelium ipse nos genuit.

R). Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe meâ: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. v. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.....

*Lectio 6.*  
Quidquid igitur in hac

sanctâ plebe potest esse virtutis & gratiæ, de hoc quasi quodam fonte lucidissimo, omnium rivulorum puritas emanavit. Etenim, quia castitatis pollebat vigore, quia abstinentiæ gloriabatur angustiis, quia blandimentis erat prædictus lenitatis, omnium civium in Deum provocavit affectum: quia Pontificis administratione fulgebat, plures è discipulis reliquit sui sacerdotii successores.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus repleta est: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populi-  
rum. V. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad coelestia regna. Ipse....  
Gloria Patri..... Ipse.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Eyangelii secundum Matthæum.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vigilate quia nescitis qua horâ Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi.

*Comment. in Matth. can. 26 in fin.*

Ut ignorantiam illam diei omnibus taciti, non sine utili silentii ratione esse sciremus, vigilare nos Dominus propter adventum furis admonuit, & orationum assiduitate detentos, omnibus præceptorum suorum operibus inhærire. Furem enim esse ostendit zabulum, ad detrahenda ex nobis spolia pervigilem, & corporum nostrorum domibus insidiantem: ut ea, incuriosis nobis, & somno deditis, consiliorum suorum atque illecebrrarum jaculis perfodiat. Paratos igitur esse nos convenit: quia diei ignoratio intentam solitudinem suspensæ expectationis exagit.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi coronavit eum. V. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.....

*Lectio 8.*

Quisnam est fidelis ser-  
vus & prudens, quem consti-

tuit Dominus super familiam suam? Quamquam in commune nos ad indefessam vigilantiae curam adhortetur; specialem tamen populi principibus, id est Episcopis, in expectatione adventus suo solicitudinem mandat. Hunc enim servum fidelem atque prudentem, præpositum familie significat, commoda atque utilitates commissi sibi populi curantem. Qui si dicto audiens & præceptis obediens erit, id est, si doctrinæ opportunitate, & veritate infirma confirmet, disrupta consoliet, depravata convertat, & verbum vitae in æternitatis cibum alendæ familie dispensat, atque hæc agens, hisque immorans deprehendatur, gloriam à Domino tamquam dispensator fidelis, & villicus utilis consequetur, & super omnia bona constituetur; id est, in Dei gloriâ collocabitur: quia nihil sit ultrà, quod melius sit.

¶. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: \* Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur à nuptiis. ¶. Vigilate ergo, quia nescitis qua ho-

râ Dominus vester venturus sit. Et vos similes..... Gloria Patri..... Et vos similes.....

Pro SS. Martyribus Tiburtio & Susannâ.

### Lectio 9.

Tiburtius Chromatii Præfecti Urbis filius, Sancti Sebastiani operâ Christianus, cum ob eam causam ad Fabianum judicem adductus esset, multaque apud illum de Christi fide prædicaret; excedens judex pavimentum cendentibus carbonibus sterni jubet. Mox, Tiburti, inquit, vel diis nostris sacrifices oportet, vel per istos carbones nudis pedibus tibi incedendum est. At ille, crucis signo se muniens, fiderenterque ambulans in pruna: Disce, inquit, ex hoc solum esse Deum, quem Christiani colunt: prunæ enim mihi flores videntur. Quod, cum magicis artibus tribueretur, extra Urbem ductus Tiburtius, ac viâ Lavicanâ tertio ab Urbe lapide gladio percussus, ibi à Christianis sepelitur. Quo die Susanna virgo nobilissima, quod Galerii Maximiani, filii Diocletiani Imper-

ratoris, conjugium recusaret, ut quæ virginitatem Deo voverat; post multa tormentorum genera, quibus variè tentatum est sanctum virginis propositum, domi suea jussu Imperatoris gladio percussa, ad duplex virginitatis & martyrii præmium migravit in cœlum.

Te Deum laudamus.....

---

IN LAUDIBUS fit commemo-  
ratio Octavæ Sancti Lauren-  
tii, & SS. Tiburtii, &c.

IN SECUNDIS VESPERIS à Ca-  
pitulo fit de S. Clara, cum  
commemoratione S. Froyla-  
ni, & Octavæ S. Laurentii.

## DIE XV AUGUSTI.

*In Assumptione B. Mariæ Virginis, titulari Almæ Ecclesiae Legionensis. Duplex primæ classis ut in Breviario.*

---

## DIE II SEPTEMBRIS.

*In festo Sancti Antonini Martyris. Duplex secun-  
dæ classis, cum Octava in tota Dioecesi.*

*Omnia de communi unius Martyris, præter ea quæ hic  
habentur propria.*

### Oratio.

**P**rästa, quæsumus omnipo-  
tent Deus, ut qui beati Anto-  
nini Martyris tui natalitia co-  
linus, intercessione ejus in tui  
nominis amore roboremur.  
Per Dominum nostrum.....

### IN PRIMO NOCTURNO.

De Epistola beati Pauli Apos-  
toli ad Romanos.

Lectio 1. Cap. VIII, c.  
Fratres, Debitores sumus

non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, morienni: si autem spiritu sancta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat.

R. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit: \* Fundatus enim erat supra firmam petram. V. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Fundatus.....

*Lectio 2.*

Scimus autem quoniam

diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præcivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & iustificavit: quos autem iustificavit, illos & glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non perpecit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

R. Justus germinabit sicut lilium: \* Et florebit in æternum ante Dominum. V. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Et florebit.....

*Lectio 3.*

Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio?

an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis). Sed in his omnibus supereramus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Dominino nostro.

¶. Iste cognovit justitiam, & vidi mirabilia magna, & exoravit Altissimum: \* Et inventus est in numero sanctorum. ¶. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Et inventus..... Gloria Patri..... Et inventus.....

### IN SECUNDO NOCTURNO.

*Ex monumentis Ecclesiae Palentinæ, Roderico Toletano,  
& alius.*

### Lectio 4.

Antoninus, nobili genere

(ut fertur) natus, ab ineunte ætate pietati addictus, in omni vita Christianis virtutibus præluxit, puer ab omni intemperantiâ refugit, fidem Catholicam, pro qua sanguinem fundere summoperè cupiebat, perpetuò retinuit. Miracula quamplurima edidit: ægros enim sanavit, dæmones ex hominum corporibus ejectedit, cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelas restituit. Cum autem aliquando ab impiis fideles tormentis subjici cerneret, eos, ut in fide Catholicâ, & Ecclesiâ permanerent, hortabatur. Quadam die Beatus Antoninus, ubi ad Sanctorum martyrum sepulchra oravit, ab impietatis ministris comprehensus, & ab eis gladio cæsus, martyrii palmam accepit. Ejus corpus membratim descerpsum, in flumen unâ cum capite ab eisdem, ne à piis viris sepeliretur, projectum est.

¶. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem æternam. ¶. Descenditque cum illo in foveam,

& in vinculis non dereliquit  
eum. Et dedit.....

*Lectio 5.*

Fideles autem post ejus  
martyrium ad eum locum ac-  
cedentes, beatas ejus reliquias  
in littore divinitus inventas,  
honorifico sepulchro recon-  
diderunt: quae in Ecclesiam  
Palentinam postea translatae  
sunt: ad quarum tactum puer,  
qui a magnâ populi frequen-  
tiâ, quae ad sacra pignora ve-  
neranda confluxerat, in sinu  
matris oppressus fuerat, sta-  
tim revixit. Sancius Castellæ  
Rex, dictus Major, cum ab  
eodem martyre, ad cuius o-  
pem confugerat, dextri bra-  
chii usum, quem amiserat,  
recuperasset, Ecclesiam ejus  
nomine, beneficij memor, ex-  
truendam curavit.

R). Desiderium animæ ejus  
tribuisti ei Domine : \* Et vo-  
luntate labiorum ejus non fra-  
dasti eum. v. Quoniam præ-  
venisti eum in benedictioni-  
bus dulcedinis: posuisti in ca-  
pite ejus coronam de lapide  
pretioso. Et voluntate.....

De expositione Sancti Am-  
brosii Episcopi, in Psalmum  
centesimum decimum octa-  
vum. *Sermo 21.*

*Lectio 6.*

Principes persecuti sunt  
me gratis: & a verbis tuis tre-  
pidavit cor meum. Benè hoc  
Martyr dicit, quod in justè  
persecutionum tormenta sus-  
tineat: qui nihil rapuerit, nul-  
lum violentus oppr̄esserit,  
nullius sanguinem fuderit,  
nullius torum putaverit esse  
violandum: qui nihil legibus  
debeat, & graviora latronum  
sustinere cogatur supplicia:  
qui loquatur justè, & non au-  
diatur: qui loquatur plena  
salutis, & impugnetur: ut pos-  
sit dicere: Cum loquebar illis,  
impugnabant me gratis. Gra-  
tis igitur persecutionem pati-  
tur, qui impugnatur sine cri-  
mine: impugnatur ut noxius,  
cum sit in tali confessione lau-  
dabilis: impugnatur quasi ve-  
neficus, qui in nomine Domini  
gloriatur, cum pietas vir-  
tutum omnium fundamen-  
tum sit.

R). Stola jucunditatis induit  
eum Dominus: \* Et coronam

pulchritudinis posuit super caput ejus. **v.** Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aquâ sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam..... Gloria Patri..... Et coronam.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Lectio 7. Cap. XII, d.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amén, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini  
Episcopi.

*Homilia 51 in Joannem sub me-  
dium.*

Ipse Dominus Jesus erat granum mortificandum, & multiplicandum; mortificandum infidelitate Judæorum; multiplicandum fide populum. Jam verò exhortans ad passionis suæ sectanda vestigia, Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. Quod duabus modis intelligi potest. Qui amat, perdet: id est, si

amas, perdes. Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo: Qui amat animam suam, perdet eam: noli amare ne perdas: noli amare in hac vitâ, ne perdas in æternâ vitâ.

**v.** Corona aurea super caput ejus: \* Expressa signo sanctitatis, gloriâ honoris, & opus fortitudinis. **v.** Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.....

*Lectio 8.*

Hoc autem, quod posterius dixi, magis habere videatur Evangelicus sensus. Sequitur enim: Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ergo, quod supra dictum est, qui amat (subintelligitur in hoc mundo) ipse utique perdet: qui autem odit (utique in hoc mundo) in vitam æternam ipse custodit eam. Magna, & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat. Si malè amaveris, tunc odisti: si benè oderis, tunc amasti.

Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

R). Hic est verè martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: \* Qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. v. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas.... Gloria Patri.... Qui minas....

*Lectio 9.*

Sed vide ne tibi subrepatur te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi homines, & in se ipsis crudeliores, &

sceleratores homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt. Hoc Christus non docuit: immò etiam diabolo præcipitum suggerenti respondit: Reddi retro satanas; scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificaturus erat Deum: Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas quò volebas: cum autem senueris, alter te cinget, & feret quò tu non vis. Ubi satis expressit non à se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.

Te Deum laudamus.....

### DIE III SEPTEMBRIS,

*Secunda die infra Octavam Sancti Antonini.*

*Officium fit de Sancto Stephano, Rege Hungariæ Confessore, ut in Breviario. Sed si fuerit dies Dominica, transfertur post Octavam Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis: in Laudibus fit commemoration Sancti Antonini.*

**I**N SECUNDIS VESPERIS, Capit. Sanctæ Rosaliæ, commemoration Sancti Stephani, & Octavæ.

**DIE IV SEPTEMBRIS,**  
*Tertia die fit de Sancta Rosalia Virgine. Semidu-*  
*plex cum commemoratione Octavæ.*

*Vesperæ Sancti Juliani, commemoratio Sanctæ Rosalie,*  
*& Octavæ.*

---

**DIE V SEPTEMBRIS,**  
*Quarta die, fit de commemoratione Sancti Juliani*  
*Episcopi Conchensis. Duplex, cum commemoratio-*  
*ne Octavæ in Laudibus, & in secundis Vesperis.*

---

**DIE VI SEPTEMBRIS,**  
*Quinta die infra Octavam Sancti Antonini.*

**IN PRIMO NOCTURNO lectiones de Scriptura occurrente.**

**IN SECUNDO NOCTURNO.**

**De Sermone Sancti Augusti-**  
*ni Episcopi.*

*Sermo 44 de Sanctis.*

**Lectio 4.**  
**P**atienter permittunt ægro-  
*ti se à medicis secari, uri, &*

variis amaritudinum confec-  
tionibus anxiari, ut tempora-  
li tamdem sanitati restituantur. Quantò magis vir beatus  
longanimiter toleravit om-  
nem acerbitatem tormento-  
rum temporalium, ut corona-  
retur in misericordia, & mi-  
serationibus, & in bonis satia-  
retur desiderium suum. In

torculari: itaque conculcari voluit tamquam uva matura ut vinum deflueret, & vinum malorum granatorum dilecto suo propinaret, quo mentes religiosæ inebriatae sciunt viviliter conculcari, & ad æternam non retortis oculis anhælare.

¶. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoriis tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem æternam. ¶. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.....

### Lectio 5.

Qui enim in tyrocinio suo mundanas contempsit divitias, qui corporales etiam refrenavit illecebras, qui in proiectu militiae suæ multas est perppersus injurias, in perfectione sacrificii nihil sibi reservans, se ipsum obtulit holocaustum, bibens illum calicem pretiosum, quem sedens ad magnam mensam sacræ lectionis, sibi priùs ab invitatore suo videbat appositum. Cujus mors quantumcumque videatur in conspectu reproborum despicibilis, in oculis tamen ejus est pretiosa, qui

in sanctis suis est mirabilis. Ipse enim primò vocavit militem suum, ipse justificavit, ipse magnificavit, ipse dedit ei pugnare, ipse dedit & vincere. Longè est dissimilis hæc militia mundanæ militiae, in qua victores existimantur qui quod malè desiderant asse-  
quuntur, qui lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.

¶. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: \* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ¶. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate....

### Lectio 6.

In christiano ergo agone manifesta est poena, occulta victoria, secundùm quod ex personâ martyrum clamat Psalmista: Deus tu repulisti nos, & non exhibis in exercitibus nostris. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis; in Deo faciemus virtutem. Tamquam si diceret: Victoria nostra, gloria nostra intùs est, non foris est: foris despecti, intus dilecti. Hinc est, quod Eccle-

sia in pressuris posita , infirmiora membra sua confortat, dicens: In mundo pressuram habebitis ; sed nolite timere pusillus grex, quia ego vici mundum. Sed quomodo vicit mundum? Factus est obediens Patri usque ad mortem. Quid autem de morte? Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen quod est super omne nomen. Quomodo vicit Christus , vincere appetat Christianus , & ubi est Christus , esse mereatur & Christianus. Audi, christianæ militiæ persecutor, ipsum Christum pro militibus suis sic orantem: Volo Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.

¶. Stolâ jucunditatis induit eum Dominus : \* Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ¶. Cibavit illum Dominus pane vitae & intellectus : & aquâ sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam..... Gloria Patri..... Et coronam.

### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

#### *Lectio 7. Cap. XII.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

De Homiliâ Sancti Augustini Episcopi.

#### *Ex tract. 51 in Joannem.*

Nullo modò igitur de huncmodi ministris diceret Dominus: Ubi sum ego, illic & minister meus erit: Et si quis mihi ministraverit, honorificavit eum Pater meus, quoniam Judam talia ministrantem, reprobatum potius quam honoratum videmus. Ut quid ergo alibi quaerimus quid sit ministrare Christo, & non potius in istis ipsis verbis agnoscimus? Cum enim dixit: Si quis mihi ministrat, me sequatur: hoc intelligi voluit ac si diceret: si quis me non sequitur, non mihi ministrat. Ministrant ergo Iesu Christo qui non sua quae-

runt , sed quæ Jesu-Christi.

¶. Corona aurea super caput ejus : \* Expressa signo sanctitatis , gloriâ honoris , & opus fortitudinis . ¶. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis , posuisti in capite ejus coronam de lapi- de pretioso. Expressa.....

### Lectio 8.

Hoc est enim: Me sequatur,  
vias ambulet meas , non suas:  
sicut alibi scriptum est : Qui  
dicit se in Christo manere,  
debet, sicut ipse ambulavit,  
& ipse ambulare: debet etiam,  
si porrigit esurienti panem,  
de misericordiâ facere , non  
de jactantiâ: non aliud ibi  
quærens quâm opus bonum,  
nesciente sinistrâ quid faciat  
dextra , id est , ut alienetur  
intentum cupiditatis ab opere  
charitatis. Qui sic ministrat,  
Christo ministrat, rectèque il-  
li dicetur: Cum uni ex mini-  
mis meis fecisti , mihi fecisti.  
Nec ea tantùm quæ ad mis-  
ericordiam pertinent corpora-  
lem , sed omnia bona opera  
propter Christum faciens; tunc  
enim erunt bona ; quoniam  
finis legis Christus ad justi-  
tiam omni credenti.

¶. Hic est verè martyr,  
qui pro Christi nomine san-  
guinem suum fudit : \* Qui  
minas judicum non timuit,  
nec terrenæ dignitatis gloriam  
quæsivit, sed ad cœlestia reg-  
na pervenit. ¶. Justum dedu-  
xit Dominus per vias rectas,  
& ostendit illi regnum Dei.  
Qui minas..... Gloria Patri....  
Qui minas.....

### Lectio 9.

Minister est Christi usque  
ad illud opus magnæ chari-  
tatis, quod est animam suam  
pro fratribus ponere : hoc est  
enim , & pro Christo ponere:  
quia & hoc propter sua mem-  
bra dicturus est: Cum pro  
istis fecistis, pro me fecistis.  
De tali quippe opere etiam  
se ministrum facere , & ap-  
pellare dignatus est, ubi ait:  
Sicut filius hominis non ve-  
nit ministrari sed ministrare,  
& animam suam ponere pro  
multis. Hinc est ergo unus-  
quisque minister Christi, un-  
dè est minister & Christus.  
Sic ministrantem Christo ho-  
norificavit Pater ejus honore  
illo magno , ut sit cum filio  
ejus, nec umquam deficiat se-  
licitas ejus.

Te Deum laudamus.....

## DIE VII SEPTEMBRIS.

*Sexta die infra Octavam Sancti Antonini.*

**IN PRIMO NOCTURNO** *lectiones de Scriptura occurrente.*

**IN SECUNDO NOCTURNO.**

Sermo Sancti Augustini Epis-  
copi.

*Sermo 45 de Sanetis.*

*Lectio 4.*

**P**salmus qui cantatur Domino, videtur sanctis martyribus convenire. Sed si membra Christi sumus, sicut esse debemus, ad omnes nos pertinere intelligamus: Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Euntib[us] ibant & flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Quò euntib[us], & undè venientes? Quid seminantes in lacrymis? Quæ sunt semina? Qui manipuli? Euntib[us] in mortem, venientes à morte: euntib[us] nascendo, venientes resurgendo: seminantes opera bona, metentes mer-

cedem æternam. Semina ergo sunt nostra quidquid boni fecerimus, manipuli nostri quod in fine recipiemus.

¶ Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem æternam. ¶ Descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.....

*Lectio 5.*

Si ergo bona sunt semina nostra bona opera, quare seminantur cum lacrymis, cum hilarem datorem diligit Deus? Hic primùm videte, charissimi, quomodò maximè ad beatos martyres verba ista pertineant. Nulli enim tantùm impenderunt, quàm illi qui se ipsos impenderunt, sicut dicit Apostolus Paulus: Et ipse impendar pro animabus vestris: Impederunt enim se ipsos confitendo Christum, &

implendo in ejus adjutorio quod dictum est: Ad mensam magnam sedisti, scito quoniam talia te oportet præparare. Quæ est magna mensa, nisi undè accipimus corpus Christi & sanguinem? Quid est, scito quoniam talia te oportet præparare, nisi quod beatus Joannes exponit: Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animam ponere? Ecce quantūm impenderunt.

¶. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: \* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ¶. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.....

### Lectio 6.

Sed numquid sancti martyres perierunt, quandò securitatem à Domino etiam de capillo acceperunt? Perit manus, ubi non perit pilus? Perit caput, ubi non perit capillus? Ubi non perit palpebra, perit oculus? Hac ergo acceptâ magnâ securitate, impenderunt se ipsos. Operibus ergo bonis seminemus, cum

tempus est, dicente Apostolo: Qui parcè seminat, parcè & metet. Infatigabiles, inquit, cum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Et iterum: Bonum, inquit, facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus.

¶. Stolâ jucunditatis induit eum Dominus: \* Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ¶. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aquâ sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam..... Gloria Patri..... Et coronam.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

### Lectio 8. Cap. XII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini  
Episcopi.

### Sermo 100 de diversis.

Illâ Evangelicâ tubâ, quan-

dò ait Dominus : Qui amat animam suam, perdet illam, & qui perdiderit illam propter me, inveniet eam , accensi sunt martyres, & vice-runt: quia non de se, sed de Domino præsumpserunt. Qui amat animam suam, perdet illam, duobus modis intelligi potest; quod dictum est: Qui amat animam suam, perdet illam. Si amas illam, perdis eam. Et alio modo: Noli amare, ne perdas. Prior modus istum habet sensum: Si amas, perde illam. Si amas ergo illam, si amas; perde illam. Hic semina illam, & in cœlo metes illam. Agricola triticum si non perdit in semine, non amat in messe.

¶. Corona aurea super caput ejus : \* Expressa signo sanctitatis, gloriâ honoris, & opus fortitudinis. ¶. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de la-pide pretioso. Expressa.....

### Lectio 8.

Alius modus sic habet: Noli amare illam, ne perdas illam: Videntur sibi amare animas suas, qui timent mori. Animas suas martyres si sic

amassent, sine dubio perdi-dissent. Quid enim prodesset tenere animam in hac vitâ, & perdere in futurâ? Quid pro-desset tenere animam in ter-râ, & perdere in cœlo? & quid est ipsum tenere? Quam-diū tenere? Quod tenes, pe-rit à te: si perdis, invenis in te. Ecce tenuerunt animas suas martyres, & quomodò essent martyres, si semper tenuissent? Sed ecce si te-nuissent, numquid usque in hodiernum vixissent? Si ne-gando Christum, suas in hac vita animas tenuissent, non-ne olim ex hac vitâ transis-sent, & animas utique per-didissent.

¶. Hic est verè martyr, qui pro Christi nomine san-guinem suum fudit: \* Qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriā quæsivit, sed ad cœlestia reg-na pervenit. ¶. Justum dedu-xit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas..... Gloria Patri.... Qui minas.....

### Lectio 9.

Sed, quia Christum non negaverunt, transierunt de hoc mundo ad Patrem. Quæ-

sierunt Christum confitendo: tenuerunt moriendo. Magno lucro perdiderunt animas suas: fœnum perdentes, coronam promerentes. Coronam, inquam, promerentes, & vitam sine fine tenentes. Fit denique, immò factum est in eis quod Dominus subsequenter adjunxit: Et qui perdididerit animam suam propter me, inveniet eam. Qui perdididerit, inquit, propter me. Tota causa est. Qui perdide-

rit, non quomodòcumque, non qualibet causā, sed propter me. Illi enim in prophétia jam dixerunt martyres: propter te mortificamur totā die. Propterea martyrem non facit poena, sed causa.

Te Deum laudamus.....

*Vesperæ Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis sine ulla commemoratione, nisi occurrat in Dominica.*

## DIE VIII SEPTEMBRIS.

*Septima die Officium fit de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis. Duplex secundæ classis.*

*Nona lectio & commemoratio Sancti Adriani, in Laudibus tantum.*

*In SECUNDIS VESPERIS commemoratio Sancti Antonini Aña. & v. ut in primis Vesperis festi, & Sancti Gorgonii martyris, ut in Laudibus.*

## DIE IX SEPTEMBRIS.

*In Octava Sancti Antonini. Duplex.**Omnia ut in die præter ea quæ hic habentur propria.*IN PRIMO NOCTURNO *lectiones de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

Sermo Sancti Ambrosii Epis-  
copi.*Serm. 24 de Martyr.**Lectio 4.*

**S**i quantūm me necesse est dicere, & vos oportet audire, tantūm prosequi corporis mei posset infirmitas; profectò omnes excusati essemus. Sed ego insinuando præceptum, vos exequendo mandatum: sed quoniam imbecillitate percellimur, quò minús quantum oportet dicere valeamus, excuset nos mentis devotion, quos non excusat prædicationis oratio: hoc est, & si à laudibus Domini lingua cessamus, mirabilia tamen ejus fidei operibus approbemus; si non loquimur

verbis ejus gloriam, factis exequamur ejus gloriam; quoniam dictis facta priora sunt. Nam Dominus in Evangelio ita dicit: Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Audis ergo quoniam præcedit factum, subsequitur doctrina, siquidem benefacere prima doctrina est. Cessantibus enim verbis hoc ipsum docet hominem opus optimum, dum videntur, quod et si voce aures non excitet, virtute tamen corda compungat.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoriis tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem æternam.  
℣. Descenditque cum illo in soveam, & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.....

*Lectio 5.*

Quis enim bonum factum videns, non gaudeat, miretur, imitetur, ac veluti tacito magistro utens, ejus exemplo doceatur? Dictis igitur facta præcedunt, immò sine factis dicta nihil possunt. Nam ideo & Dominus fieri voluit sic doceri, ne sine bono opere verborum inutilis esset & superstitionis jactatio. Melius ergo docemur facto quam voce. Denique sancti martyres etsi voce tacent, factorum virtute nos edocent: etsi lingua silent, martyrii passione persuadent. Unde, quamvis disertus orator facundiâ suâ me doceat, id tamen quod utile est mihi, melius disco exemplo sanctorum, quam assertione verborum. Citius mihi persuadent oculi, quod cernunt, quam auris potest insinuare quod præterit. Auditui enim citò irrepit oblivio: oculorum autem historia semper inspicitur.

R. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: \* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. V. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti

in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.....

*Lectio 6.*

Quis non omnibus horis, momentisque conspiciat, quemadmodum tunc beatí martyres propter nomen Christi, diversis subjacuere suppliciis, & de ipsis poenis quodammodo triumphabant? Quantò enim plura patiebantur, tantò se victoriosissimos esse credebant. Victoria enim est martyris judicium persequantis, sicut scriptum est: Et vincas, cum judicaris. Cum judicatur enim martyr & condemnatur, tunc vincit atque prosternit. Tali enim iudicio non est addictus ad mortem, sed absolutus ad requiem. Ac per hoc manifestissimam ratione viciisse est, non periisse. Constat igitur, sanctos martyres plus passione docere quam voce, quamquam ipsamet passio sine voce non sit; legimus enim, animas eorum de sub arâ Dei claram: Quousque sanctus & verus non vindicas sanguinem nostrum? Nam & Deus dicit de sanguine Abel ad Cain: Vox sanguinis fratris tui cla-

mat ad me. Clamare igitur dicitur sanguinis, qui innocens effusus est, non tam voice quam causâ. Sic & Sanctorum Martyrum animæ clament, dum fidem, atque innocentiam suam sensibus nostris, ipsâ passione commendant.

R. Stolâ jucunditatis induit eum Dominus: \* Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. V. Cibavit illum Dominus pane vitae, & intellectus: & aquâ sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam..... Gloria Patri..... Et coronam.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

#### *Lectio 7. Cap. XII.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

*Homilia 66 in Joannem.*

Dulcis præsens vita est, &

multæ plena voluptatis, non tamen omnibus, sed iis tantum qui illi sunt affixi. Quod si quis in cœlum suspexerit, & quæ ibi præclara sunt contemplatus fuerit, statim hanc contemnet, ac nullius pretii existimabit. Nam & corporum pulchritudo, quoad pulchrius non deprehenditur, in admiratione habetur: cum verò aliud præstantius apparuerit, illa prior despiciatur. Quod si illam pulchritudinem etiam nos intuei voluerimus, & cœlestis regni speciem considerare, confestim nos hujus seculi vinculis dissolvemus. Vinculum namque est terrenarum rerum affectio: ad cuius dissolutionem, ut nos induceret Christus, quid dicat, attende: Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ænigmati simile hoc dictum videtur: non tamen ita est, immò verò præcipuae sapientiae plenum.

R. Corona aurea super caput ejus: \* Expressa signo sanctitatis, gloriâ honoris, & opus fortitudinis. V. Quoniam

prævenisti eum in benedictiōbus dulcedinis , posuisti in capite ejus coronam de lapi- de pretioso. Expressa.....

*Lectio 8.*

Et quomodo qui amat animam suam perdet eam? Qui absurdis ejus cupiditati- bus obtemperat, qui præter debitum ei indulget : quemadmodum è contrario , qui odit eam in hoc mundo, cus- todit eam ; hoc est , qui non paret ei cum noxia jubet. Et non dixit, qui non paret, sed qui odit. Sicuti enim quos odio habemus , nec vocem quidem audire , nec vultum eorum videre , æquo animo patimur: ita & animæ , si quid præter Dei voluntatem nobis imperat, vehementer adversari oportet. Cum enim jam de morte ad eos verba facturus esset, de morte vi- delicet suâ , & prævideret eo- rum tristitiam , & exanima- tionem, per excessum locutus est inquiens: Quid dico , si mortem meam generosè non feretis ? nisi vos ipsi moria- mini , nullum vos sequetur emolumētum.

**R.** Hic est verè martyr, qui pro Christi nomine san-

guinem suum fudit: \* Qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis glo- riam quæsivit, sed ad cœles- tia regnâ pervenit. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas..... **Gloria Patri..... Qui minas.....**

## Pro Sancto Gorgonio mar- tyre.

*Lectio 9.*

Gorgonius Nicomediae na- tus, Diocletiani Imperatoris cubicularius , Dorotheo collegâ suo adjutore , reliquos omnes cubiculi ministros ad Christi fidem perduxit. Uterque autem cum vidisset qua- dam die martyrem coram Diocletiano acerbissimè cru- ciari, ejus exemplo martyrii amore incensus est. Itaque amborum hæc vox erupit: Quid est, Imperator, quod hujus condemnata sententia, quæ nobis cum eo commu- nis est, unum illum punis? Istius nostra etiam est fides, idem propositum. Eos igitur vinctos , Imperator flagellis concidi jubet, ita ut toto cor- pore cutis dirumperetur, &

in plagiis acetum infundi sale  
permixtum: mox revinctis  
in craticulâ subjici imperat  
vim candardium carbonum.  
Denique varietati, suspendio  
necati sunt. Ac sancti Gorgonii  
corpus aliquandò Romam  
portatum, inter duas lauros  
viâ latinâ sepultum, postea,  
Gregorio Quarto summo Pon-  
tifice, in Basilicam Principis

Apostolorum translatum est.  
Te Deum landamus.....

**I**N LAUDIBUS commemo-  
ratio Nativitatis Beatæ Mariæ,  
& Sancti Gorgonii, ut in pri-  
mis Vesperis. In secundis  
Vesperis capitulum Sancti  
Nicolai, commemoratio San-  
cti Antonini, & Nativitatis  
Beatæ Mariæ Virginis.

## DIE XXV SEPTEMBRIS.

*In festo Sancti Laurentii Justiniani Episcopi, &  
Confessoris. Semiduplex.*

*Omnia ut in Breviario Romano, in Sanctis ad libitum. Si  
venerut in Dominica, omittitur illo anno.*

## DIE V OCTOBRIS.

*In festo Sancti Froylani Episcopi & Confessoris,  
Legionensis Ecclesiæ præcipui Patroni. Duplex  
primæ classis, cum Octavâ in totâ Dicœcesi.*

*Omnia de communi Confessoris Pontificis, præter ea quæ  
hic habentur propria.*

### Oratio.

**D**a quæsumus, omnipotens  
Deus, ut beati Froylani Con-  
fessoris tui atque Pontificis

veneranda solemnitas, & de-  
votionem nobis augeat, & sa-  
lutem. Per Dominum nos-  
trum.....

*Et non sit commemoratio  
Sancti Francisci, neque San-  
ctorum martyrum Placidi,  
& sociorum.*

## IN PRIMO NOCTURNO.

De Epistola prima Beati Pauli  
Apostoli ad Timotheum.

*Lectio 1. Cap. III.*

Fidelis sermo: Si quis Epis-  
copatum desiderat, bonum  
opus desiderat. Oportet ergo  
Episcopum irreprehensibilem  
esse, unius uxoris virum, so-  
brium, prudentem, ornatum,  
pudicum, hospitalem, doc-  
torem, non vinolentum, non  
percussorem, sed modestum;  
non litigiosum, non cupidum,  
sed suae domui benè præ-  
positum, filios habentem sub-  
ditos cum omni castitate. Si  
quis autem domui suae præ-  
esse nescit, quomodo Ecclesiae  
Dei diligentiam habebit? Non  
neophytum: ne in super-  
biam elatus, in judicium  
incidat diaboli. Oportet au-  
tem illum & testimonium ha-  
bere bonum ab iis qui foris  
sunt, ut non in opprobrium  
incidat, & in laqueum dia-  
boli.

¶. Euge serve bone & fi-  
delis, quia in pauca fuisti fi-  
delis, supra multa te consti-  
tuam: \* Intra in gaudium Do-  
mini tui. ¶. Domine quinque  
talenta tradidisti mihi, ecce  
alia quinque superlucratus  
sum. Intra.....

## De Epistola ad Titum.

*Lectio 2. Cap. XVI.*

Oportet enim Episcopum  
sine crimine esse, sicut Dei  
dispensatorem: non super-  
bum, non iracundum, non  
vinolentum, non percusso-  
rem, non turpis lucri cupi-  
dum; sed hospitalem, benig-  
num, sobrium, justum, san-  
ctum, continentem, amplec-  
tentem eum, qui secundum  
doctrinam est, fidelem ser-  
monem: ut potens sit exhorta-  
ri in doctrinâ sanâ, & eos qui  
contradicunt, arguere. Sunt  
enim multi etiam inobedien-  
tes, vaniloqui, & seductores,  
maxime qui de circumcisione  
sunt, quos oportet redargui:  
qui universas domos subver-  
tunt, docentes quæ non oportet,  
turpis lucri gratiâ.

¶. Ecce sacerdos magnus,  
qui in diebus suis placuit

**Deo:** \* Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. v. Benedictio nem omnium gentium dedit illi, & testamentum suum confirmavit super caput ejus. Ideo jurejurando.....

*Lectio 3.*

Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam: Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientiâ: Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, benè docentes: ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligent, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei. Juvenes similiter hortare ut sobrii sint. In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile: ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

v. Juravit Dominus, & non poenitebit eum: \* Tu es sacerdos in æternum secundum

ordinem Melchisedech. v. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Tu es sacerdos...., Gloria Patri..... Tu es sacerdos.....

*IN SECUNDO NOCTURNO.*

*Lectio 4.*

Froylanus, in Lucensi Galle ciæ suburbio natus, à primis annis Deum timere didicit, virtutisque studiosissimus, animum quoque ad litterarum sacrarum studium contulit. Ut autem Deo, quem unicè diligebat, liberius inservire posset, in solitudinem quamdam secessit, ubi Ecclesiâ monasterioque constructo inter Zamoram & Beneventum, quod de Moreruela vocatum est, multos sub regula sancti Benedicti sibi adjunxit, qui undique ad eum ex variis regionibus, auditâ sanctitatis ejus famâ, confluxerant.

v. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. v. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius ini quitatis non nocebit ei. Manus enim.....

*Lectio 5.*

Cum autem Legionensis Ecclesia pastore vaccaret, omnium consensu illius civitatis Episcopus electus est. Quod sanè munus, ut maximè potuit, recusare studuit, sed columbā divinitus (ut creditum est) ad eum convolante, & in illius capite considente, demum suscepit. Factus Episcopus, ut populum suæ curæ demandatum, ad æternorum amorem, & sanctarum virtutum studium incenderet, à prædicatione verbi divini numquam, quoad vixit, destitit: in operibus pietatis, & præcipue in pauperum inopiâ sublevandâ, assiduus fuit. Miracula quoque quamplurima edidit. Deniquè vi-tæ sanctitate clarus, anno ætatis suæ septuagesimo tertio ob-dormivit in Domino. Ejus corpus in Cathedrali Ecclesiâ sepultum est.

R. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe meâ: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. V. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.....

Sermo Sancti Joannis Chrysostomi.

*In oratione de Sancto Philogonio,  
tom. 3.*

*Lectio 6.*

Beati Froylani dies, cuius festivitatem celebramus, ad ipsius rectè factorum enarrationem linguam nostram evocavit: siquidem hodiè beatus iste ad tranquillam, omnisque perturbationis expertem vitam transiit: eoque navigium appulit, ubi deinceps non poterit metuere naufragium, nec ullam animi perturbationem, aut dolorem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni molestiâ animi, cum Paulus hominibus adhuc in hac vitâ degentibus loquens dicat: Semper gaudete, sine intermissione orate?

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus repleta est: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. V. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse

intercedat..... Gloria Patri.....  
Ipse intercedat.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Lectio 7. Cap. XXV.*  
In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregrè proficiens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

De Homiliâ Sancti Joannis Chrysostomi.

### 41. Super cap. 18 Genes.

Accessit autem & qui duo talenta acceperat, dicens: Nonne duo talenta tradidisti mihi? ecce alia duo lucratus sum in eis. Habuit & ille in pecuniis Domini sui debitam curam & benevolentiam; Unde & eadem, quæ superior, meritus est: & quare ille, qui duo attulit talenta, eumdem consequitur honorem, quem ille, qui talenta quinque attulerat? Merito: augmentationem enim, & imminutionem non vel hujus diligentia, vel illius negligentia fecit, sed cre-

ditorum quantitas: Nam quod ad diligentiam ambo pares fuerunt; proinde & eamdem dignitatem nacti sunt.

*R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi coronavit eum. ¶ Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.....*

### Lectio 8.

Verum aliud nihil tale fecerat, sed quid? Accessit dicens: Cognovi te quod austerus homo sis, metens ubi non seminas, & congregans ubi non sparginis; & reveritus abii, & occultavi talentum in terrâ: Ecce habes quod tuum est. O malitiam famuli! O immensam ingratitudinem! Nam non solum contempsit, & nihil negotiatus est talento sibi concredito, sed & pro talento sibi accusationem attulit; ita enim solet malitia: obtenebrat rationem; & eum qui semel à viâ est aversus, in præceps ferri facit. Hæc autem omnia de magistris dicta sunt, ut talenta sibi concredita non abscondant, sed omni diligentia discere cu- pientibus apponant.

¶. Sint lumbi vestri præcincti , & lucernæ ardentes in manibus vestris: \* Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum , quando revertatur à nuptiis. ¶. Vigilate ergo , quia nescitis quā horā Dominus vester venturus sit. Et vos..... Gloria Patri..... Et vos.....

*Lectio 9.*

Verūm ultra audi, dilecte, ex indignatione erga illum, quomodo & discipuli rei sunt, & non solū illa repetuntur,

quæ concredita , sed & cum lucro operatio queritur. Quid igitur dicit illi Dominus? Serve maligne. Terribilis indignatio , & minæ valentes per se percellere animum. Sciebas , inquit, quod metam ubi non semino , & congregem ubi non dispersi ; oportebat igitur te pecuniam tuam di numerare mensariis , & ego cum venissem , cum lucro repetissem illam.

Te Deum laudamus....

## DIE VI OCTOBRIS.

*Secunda die Officium fit Sancti Brunonis Confessoris. Duplex cum commemoratione Octavæ.*

**I**N SECUNDIS VESPERIS , commemoratione Sancti Froylani, Sancti Marci, & Sanctorum Sergii & Sociorum martyrum.

## DIE VII OCTOBris.

*Tertia die infra Octavam.**Lectiones PRIMI NOCTURNI de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Lectio 4.*De sermone Sancti Joannis  
Chrysostomi.*In oration. de Sancto Philogonio,*  
tom. 3.

**I**n mundo nemo Deum vidit; in celo autem qui ad-sunt, perpetuò vident, quatenus illum videre licet, non solùm præsentem, verùm etiam suæ gloriæ splendore condecorantem universum cœtum. Et nostræ quidem celebritates sub meridiem plerumque solvuntur, illæ verò non item. Neque enim mensium in orbem recursus, neque annorum circuitus, neque dierum numerum exspectat: sed stat perpetuò, illiusque bona finem non habent, nec senescere, nec marcescere possunt, sed sunt tum senii, tum mortis expertia.

¶. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. ¶. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius ini-quitatis non nocebit ei. Ma-nus enim.....

*Lectio 5.*

Nullus illic tumultus quem-admodum hic: nulla turbatio, sed ingens omnium cum ordine decenti compositio, haud secus atque in cytha-râ quapiam modulatissimum concentum, & quavis musicâ suaviorem reddentium utrius-que creaturæ Domino, dum anima illic velut in sacris ady-tis, divinisque misteriis, di-vinorum arcanorum celebra-tionem peragit. Ad hanc beatam requiem transit beatus Froylanus. Quænam igitur oratio par sit viri laudibus, quem Deus tam felici sorte dignatus est? Non est ulla.

¶. Posui adjutorium super

potentem, & exaltavi electum de plebe meâ: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. ¶ Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.....

*Lectio 6.*

Sed age, dic mihi, num id circò silebimus? Et cujus rei gratiâ convenimus? An dicemus, nos haud posse magnitudinem gestorum oratione consequi? Atqui ob hoc ipsum necesse est dicere, quandoquidem hæc est præcipua laudum illius pars, quod factis verba æquiparari non possint. Nam quorum benè facta naturam etiam superant mortalem, perspicuum est, quod horum laudes excedunt linguam humanam. Haud tamen ob id aspernabitur officium nostrum, quod pro viribus præstamus, sed suum imitabitur Dominum. Siquidem & illæ viduæ duos tantum obolos dejicienti in gazophylacium, non tantum duorum obolorum mercedem reddidit. Cur ita tandem? Quoniam non perpendebat pecuniæ modum, sed animi divitias.

R. Iste est qui ante Deum

magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus repleta est: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populi rum. ¶ Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat..... Gloria Patri..... Ipse intercedat.....

## IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Lectio 7. Cap. XXV.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregrinè proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et reliqua.

## De Homiliâ Sancti Joannis Chrysostomi.

Nos hodiè hoc agemus, ut paternum erga nostros amorem declaremus, & doceamus, si in negligentia manserint, eos inde majorem condemnationis causam habituros. Agricola quidem non patri alacritate seminat, cogitans sumptus hactenus fuisse inutiles: nos autem ab hac curâ liberi sumus: nam licet ja-

cto spirituali semine, ob auditorum ignaviam fructum non capiamus, perfecta nobis tamen futura merces. Pecuniam enim concreditam ex pendimus, & mandatum Domini implevimus: ceterum posthac auditores rationem reddent ei, qui repetiturus est concredita.

*R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi coronavit eum. v. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.....*

### Lectio 8.

Verùm hoc nos non consideramus, quod extra damnum sumus, & quod nostrum est implemus, sed volumus ut & vos ex dinumeratis pecuniis multum negotiemini, ut ne obnoxii fiat supplicii, quod fert ille qui talentum recondidit, & dominicam pecuniam non solum non multiplicavit, sed & ipsam in terrâ defodit: tales enim sunt qui sermones audiunt (talentum enim vocat & pecuniam) neque operam dant ut frumentum afferant.

*R. Sint lumbi vestri præ-*

cincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: \* Et vos similes hominibus expectanti bus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis. v. Vigilate ergo, quia nescitis qua horâ Dominus vester venturus sit. Et vos..... Gloria Patri..... Et vos.....

Pro Sancto Marco Papâ, & Confessore.

*Lectio 9.*  
Marcus Romanus, Constantino Magno Imperatore Pontifex, instituit ut Episcopus Ostiensis, à quo Romanus Pontifex consecratur, pallio uteretur. Duas Romæ Basilicas ædificavit, alteram in Urbe, alteram viâ Ardeatinâ: quas Constantinus auctas magnis muneribus exornavit. Vixit in Pontificatu menses octo, sepultusque est in coemeterio Balbinæ.

Te Deum laudamus.....

In LAUDIBUS commemora-  
tio Sancti Marci, & Sanctorum Sergii Ec. martyrum.

In SECUNDIS VESPERIS capi-  
tulum Sanctæ Birgittæ, &  
commemoratio Octavæ.

---

## DIE VIII OCTOBRIS.

*Quarta die fit Officium Santæ Birgittæ viduæ. Semiduplex, & commemoratione Octavæ.*

*Vesperæ à Capitulo Sanctorum Dionysii &c. martyrum, cum commemoratione S. Birgittæ, & Octavæ.*

---

## DIE IX OCTOBRIS.

*Quinta die fit Sanctorum Dionysii &c. martyrum. Semiduplex, cum commemoratione Octavæ.*

*Vesperæ Sancti Francisci sine ulla commemoratione.*

---

## DIE X OCTOBRIS.

*Sexta die, Sancti Francisci de Borgia Confessoris. Duplex secundæ classis.*

*Sine commemoratione Octavæ in Laudibus, nec in secundis Vesperis. In illis commemoratione Sancti Ludovici Bertrandi.*

---

## DIE XI OCTOBRIS.

*Septima die fit Sancti Ludovici Bertrandi Confessoris. Duplex, cum commemoratione Octavæ in Laudibus.*

*IN SECUNDIS VESPERIS capitulum S. Froylani, cum commemoratione Sancti Ludovici.*

## DIE XII OCTOBRIS.

*In Octava Sancti Froylani. Officium. Duplex.*

*Omnia ut in die, præter ea quæ hic habentur propria.*

*IN PRIMO NOCTURNO lectiones de Scriptura occurrente.*

*IN SECUNDO NOCTURNO.*

*Lectio 4.*

*De sermone Sancti Joannis  
Chrysostomi.*

*In oration. de Sancto Philogonio,  
tom. 3.*

**S**i quis voluerit Christo commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quærat utilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat. Nullum enim officium hoc Deo charius est. Et ob id alicubi dicit: Simon, Simon, expetivit te Satanás, ut cribaret te tamquam triticum; sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Quod igitur hujus solitudinis curæque premium mihi rependis? Sed quam tandem poscit repensationem? Eamdem curam, quam nobis

impedit, reposcit. Nam & tu, inquit, aliquandò conversus confirma fratres tuos: & Paulus ait: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

v). Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. v. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.....

*Lectio 5.*

Rursus alio loco dicit: Etenim Christus non sibi ipsi placuit, sed multis. Neque prorsus alia res est, quæ perindè declareret, doceatque quis sit fidelis, & amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat solitudinem. Hæc omnes audiant & Monachi, qui montium occuparunt cacumina: quique modis omnibus se ip-

sos mundo crucifixerunt, quò pro viribus Ecclesiarum præfectos adjuvent, horumque curas leniant precibus, concordiā, charitate, scientes quod in modis omnibus opitulentur iis, qui tot periculis obiiciuntur per gratiam Dei, totque negotiorum curas sustinent, quibuscumque possunt rationibus auxilientur, quamquam procul habitantes, & victus sors ipsis perisset, & tota in scopulum impegisset sapientia.

**R.** Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe meā: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.....

### Lectio 6.

Verūm hoc esse maximum amicitiæ erga Christum argumentum declaratur & hinc. Videamus autem quomodo munus hoc Episcopi administrarint. Quin potius non est opus hic pluribus verbis aut voce nostrâ, cum vester favor, vestrumque studium hoc ultrò declareret. Quemadmodum enim aliquis ingressus vineam, vitesque contem-

platus, pampinis comantes, fructu gravidas, maceriis ac septis undiquè munitas, haudquaquam desiderat orationem cujusquam, qui demonstret vinitoris industriam, & agricolæ virtutem: Itidem & hic, si quis ingressus conspiat vites spirituales, vestrumque fructum contempletur, nil opus habuerit, ut ex cuiusquam oratione discat, qualis sit vester Præpositus. Sicut & Paulus scribit alicubi: Epistola mea vos estis, quæ inscripta est, & legitur. Fluvius arguit qualis sit fons, & fructus indicat qualis sit radix.

**R.** Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus repleta est; \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat..... Gloria Patri..... Ipse intercedat.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

### Lectio 7. Cap. XXV.

In illo tempore: Dixit Je-

sus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregrè proficiscens , vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

**De homiliâ Sancti Joannis Chrysostomi.**

Pecuniam dicens , eloquia pretiosa: nummularios autem, vos qui suscipitis: Tuum quidem fuerat, ait, tantùm di numerare, meum autem repetere ab illis non solùm di numerata, sed & usuram. Videntis, dilecti, quantus in dictis terror. Quid ergo dicent qui concedita servare negligunt, quando & lucrum ab eis requiritur? & vide misericordiam Domini: in his sensibilibus pecuniis prohibuit ne quis usuram acciperet. Quare & ob quam causam? Quia uterque magno damno afficitur; nam debitor quidem in opia atteritur, creditor autem augens divitias , & peccatorum accumulat sibi multitudinem; proindè ab initio olim Judæis crassioribus tale dedit præceptum dicens: Non feneraberis fratri tuo, & proximo tuo.

¶. Amavit eum Dominus & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi coronavit eum. ¶. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.....

**Lectio 8.**

Quâ igitur accusatione digni erunt , qui Judæis sunt inhumaniores , & post gratiam, & tantam à Domino misericordiam , inveniuntur his, qui sub lege fuerunt, inferiores , immò pejores ? In spiritualibus autem répetitum se promittit usuras. Quare? Quia omnino diverso modo se habent spiritualis usura, & sensibilis: illic enim à quo requiritur severiter, subito in extremam inopiam defertur; hic autem à quo exigitur , quando gratitudinem præ se tulerit, quantò majorem usuram afferet, tanto largiori fruetur remuneratione.

¶. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: \* Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum , quando revertatur à nuptiis. ¶. Vigilate ergo, quia nescitis quâ

horâ Dominus vester venturus sit. Et vos..... Gloria Patri..... Et vos.....

*Lectio 9.*

Quocirca, dilecti, cum nobis concredita dinumeraverimus, vobis necessarium erit duplarem afferre laborem & vigilantiam: tûm quod dinumerata custodienda sunt, ut fixa maneant: tûm quod operandum, ut & aliis comunicentur, & multos in viam virtutis inducant, ut bifariam vobis lucrum accrescat; tûm

pro salute vestrâ, tûm pro aliorum utilitate. Quod si hoc feceritis, & vos reddetis beatos; beatus enim, inquit, qui dicit in aures audientium, & facietis ut largior vobis apponatur mensa.

Te Deum laudamus.....

*In secundis Vesperis à capitulo fit de Sanctis Fausto, Januario & Martiali martyribus, cum commemoratione Octavæ.*

## DIE XIII OCTOBRIS.

*In festo Sanctorum Fausti, Januarii, & Martialis martyrum. Duplex.*

*Omnia de communi plurimorum martyrum, præter sequentia.*

*Oratio.*

Deus, qui nos concedis Sanctorum martyrum tuorum Fausti, Januarii, & Martialis natalitia colere: da nobis in æternâ beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum nostrum.....

*In PRIMO NOCTURNO lectio-nes de Scriptura occurrente.*

*In SECUNDO NOCTURNO.*

*Lectio 4.*

Faustus, Januarius, & Martialis fratres, filii Sancti Marcelli martyris, zelo Fidei, &

M

martyrii desiderio, Eugenium Præsidem adeuntes, eum quod tam immaniter in Christi servos desæviret, graviter increpant. Id autem cum ille indignissimè ferret, Faustum primò in equuleum conjici jubet. Conversus deinde ad Martialem, & ab eo, quem blandis verborum persuasionibus ad idola colenda inducere non potuit, se delusum arbitratus, illum eodem tormenti genere excruciar mandat: quo in tormento beatus martyr Deo gratias agere non cessabat.

¶. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: \* Terra apparuit arida: & in mari Rubro via sine impedimento. ¶. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Terra.....

### Lectio 5.

Januarium autem post agressus, illumque in Christianæ fidei confessione constantissimum repertum, equuleo itidem excruciali jubet. Demum, cum neque is, neque fratres ejus à Fidei pro-

posito divelli ullo modo possent, post equulei poenam, superciliis rasis, dentibus evulsis, auribus quoque & naribus præcisis, ignis passione martyrium consummarunt. Antequam autem igni traderentur, in ipso passionis loco astantes fideles, ne impiorum minis territi, Christi fidem abnegarent, hortabantur. Martyrium verò Diocletiano & Maximiano Imperatoribus Cordubæ compleverunt.

¶. Verbera carnificum non timuerunt Sancti Dei, morientes pro Christi nomine: \* Ut heredes fierent in domo Domini. ¶. Tradiderunt corpora sua propter Deum, ad supplicia. Ut heredes.....

Sermo Sancti Joannis Chrysostomi.

*Serm. 1. de Mart. tom. 3.*

### Lectio 6.

Nemo est qui nesciat martyrum glorias ad hoc divino consilio à Dei populis frequentari, ut & illis debitus honor dicetur, & nobis virtutis exempla, favente Christo, monstrantur; ut dum hæc ita celebrari perspicimus, cog-

noscamus quanta eos gloria  
maneat in cœlis, quorum na-  
talitia taliter celebrantur in  
terris : quò possimus etiam  
ipsi talibus provocari exem-  
plis , virtute pâri , devotione  
consimili ac fide : ut, Christo  
præstante , dimicare & vin-  
cere hostem possimus: ut par-  
tâ victoriâ , cum iisdem san-  
ctis in regnis cœlestibus trium-  
phemus.

R. Tamquam aurum in for-  
nacē probavit electos Domi-  
nus , & quasi holocausti hos-  
tiam accepit illos : & in tem-  
pore erit respectus illorum: \*  
Quoniam donum , & pax est

electis Dei. v. Qui confidunt  
in illum intelligent verita-  
tem: & fideles in dilectione  
acquiescent illi. Quoniam.....  
Gloria Patri..... Quoniam.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Homilia Sancti Ambrosii Epis-  
copi in Evangelium : "Des-  
cendens Jesus de monte , " *de  
communi plurimorum martyrum.*

R. 8. Haec est vera.

IN SECUNDIS VESPERIS , fit  
commemoratio Sancti Calix-  
ti Papæ & martyris.

## DIE XXIII OCTOBRI.

*In festo Sanctorum Servandi & Germani , marty-  
rum Fratrum. Duplex.*

*Omnia de communi plurimorum martyrum , præter ea quæ  
hic habentur propria.*

### Oratio.

Deus , qui nos annuâ San-  
ctorum martyrum tuorum  
Servandi , & Germani solem-  
nitate lætificas : concede pro-  
pitius , ut quorum gaudemus  
meritis , accendamur exem-  
plis. Per Dominum nostrum...

IN PRIMO NOCTURNO lectio-  
nes de Scriptura occurrente.

### IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio 4.  
Servandus & Germanus,  
ortu Legionenses, Sancti Mar-  
M 2

celli martyris filii, in Diocletiani persecutione, sub Romano Præside primū ob Christi fidem diū varièque torti sunt. Deindè, Emeritæ eamdem ob causam sub Viatore Vicario gravia passi, post verbera, squalorem carceris, famis ac sitis injuriam, & longissimi itineris laborem, quem ferro onusti pertulerunt, novissimè martyrii sui cursum, propè Gades, ad fundum Ursonianum, cæsis cervicibus impleverunt: ex quibus Germanus Emeritæ, Servandus verò Hispali conditus est. Uterque autem magno populi concursu & honore celebratur.

¶. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut inventarentur illæsi in aquis validis: \* Terra apparuit arida, & in mari Rubro via sine impedimento. ¶. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Terra.....

Ex Epistolâ Sancti Cypriani Episcopi, & martyris ad Thibaritanos.

*Lib. 4. Epist. 6.*

*Lectio 5.*

Gaudere nos & exultare voluit in persecutionibus Dominus, quia, quandò persecutio[n]es fiunt, tunc dantur coronae fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent coeli. Neque enim sic nomen militiæ dedimus, ut pacem tantummodò cogitare, & detrectare, & recusare militiam debeamus, quandò in ipsâ militiâ primus ambulaverit Dominus, humilitatis, & tolerantiae, & passionis magister, ut quod fieri docuit, prior faceret, & quod pati hortatur, prior pro nobis ipse pateretur.

¶. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: \* Ut heredes fierent in domo Domini. ¶. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut heredes.....

*Lectio 6.*

Sit ante oculos, fratres dilectissimi, quod, qui omne ju-

dicium à Patre solus accepit, & qui venturus est & judicaturus, jam judicii sui & cogitationis futuræ sententiam protulerit; prænuncians & contestans confessurum se coram Patre suo confitentes, & negaturum negantes. Si mortem possemus evadere, meritò mortem timeremus. Porrò autem cum mortalem mori necesse sit, amplectamur occasionem de divinâ promissione & dignatione venientem, & fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis; nec vereamur occidi, quos constet, quandò occidimur, coronari.

R. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum: \* Quoniam donum et pax est electis Dei. v. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione, acquiescent illi. Quoniam..... Gloria Patri..... Quoniam.....

## IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

*Lectio 7. Cap. XXIV.*

In illo tempore: Sedente Jesu super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis quandò hæc erunt? Et reliqua.

Homilia Santi Hilarii Episcopi.

*Comment. in Matth. can. 25.*

Discipuli Dominum interrogant quandò hæc fierent, quodve signum & adventus sui & consummationis seculi noscerent. Et quia tria hæc in unum quæsita sunt: distinctis & temporis intelligentiæ significationibus separantur. Respondetur igitur primum de civitatis occasu: & confirmantur veritate doctrinæ, ne quis fallax ignorantibus posset obrepere. Venturi enim erapt, etiam ecrum tempore, qui se Christum essent nuncupaturi. Ut igitur fides pestifero mendacio detrahi posset, admonitio præcessit.

R. Propter testamentum Domini, & leges paternas, sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis: \* Quia unus fuit semper spiritus in eis, & una fides. v. Ecce quām bonum & quām jucundum habitare fratres in unum. Quia unus.....

*Lectio 8.*

Confirmat igitur eos ad tolerantiam passionum fugae, verberationis, interitus, & publici in eos odii propter nomen ejus. Atque his quidem vexationibus multi turbabuntur, & tantis insurgentibus malis scandalizabuntur. Et falsi prophetae erunt (ut Nicolaus unus ex septem Diaconibus fuit) multosque ementitā veritate pervertent: & abundante nequitiā charitas refrigerescet.

R. Haec est vera fraternitas quae numquam potuit violari certamine: qui effuso sanguine secuti sunt Dominum. \* Contemnentes aulam regiam,

pervenerunt ad regna colestia. v. Ecce quām bonum & quām jucundum habitare fratres in unum. Contemnentes..... Gloria Patri..... Contemnentes.....

*Lectio 9.*

Sed usque in finem perseverantibus salus reservata est: ac tum per omnes orbis partes viris Apostolicis dispersis, Evangelii veritas prædicabitur. Et cum universis fuerit cognitio sacramenti cœlestis inventa, tum Jerusalem occensus & finis incumbet: ut prædicationis fidem, & infidelium poena, & metus civitatis erutæ consequiatur. Hæc igitur in eam, ut fuerant prædicta, perfecta sunt: & lapidatis, fugatis, peremptis Apostolis, fame, bello, captivitate consumpta est. Ac tum fuit digna non esse, cum, ejecitis præparatoribus Christi, indignam Dei prædicatione se præbuit.

Te Deum laudamus.....

## DIE XXVII OCTOBRIS.

*In festo Sanctorum Vincentii, Sabinæ & Christetæ martyrum. Duplex.*

*Omnia de communi plurimorum martyrum.*

*Oratio.*

Deus, qui nos concedis sanctorum martyrum tuorum Vincentii, Sabinæ & Christetæ natalitia colere: da nobis in æternâ beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum nostrum.....

IN PRIMO NOCTURNO *lectio-*  
*nes de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Lectio 4.*

Vincentius Eborā, ubi pro Christi gloriâ decertarat, Aullam veniens, ab impietatis ministris, unā cum Sabinā & Christetā sororibus, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, comprehenditur. Cumque ad Christi fidem abnegandam nec ipse, nec soiores adduci ullâ ratione possent, in equuleo primū

adeò extenti sunt, ut omnes membrorum compages laxarentur: deindè capita eorum lapidibus superposita, usqne ad excussionem cerebri validis vectibus sunt contusa, atque ita martyrium compleverunt, agente Præside Daciano.

¶. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut inventirent illæsi in aquis validis: \* Terra apparuit arida, & in mari Rubro via sine impedimento. ¶. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Terra apparuit.....

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

*Sermo 47 de Sanctis.*

*Lectio 5.*

Quotiescumque, fratres charissimi, Sanctorum marty-

rum solemnia celebramus, ita, ipsis intercedentibus, expectemus à Domino, consequi temporalia beneficia, ut ipsos martyres imitando, accipere mereamur æterna. Ab ipsis enim Sanctorum martyrum in veritate festivitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum martyrum exempla sequuntur. Solemnitates enim martyrum exhortationes sunt martyriorum: ut imitari non pigeat quod celebrare delectat.

Verbera carnificum non timerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: \* Ut heredes fierent in domo Domini. ¶ Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut heredes.....

### Lectio 6.

Sed nos volumus gaudere cum sanctis, & tribulationem mundi nolumus sustinere cum ipsis. Qui enim Sanctos martyres, in quantum potuerit, imitari noluerit, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. Sed & Paulus Apostolus prædicat, dicens: Si fuerimus socii passionum, eri-

mus & consolationum. Et Dominus in Evangelio: Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Recusat esse in corpore, qui odium non vult sustinere cum capite.

R. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum: \* Quoniam donum & pax est electis Dei. ¶ Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione, acquiescent illi. Quoniam..... Gloria Patri..... Quoniam.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Homilia Sancti Ambrosii, Episcopi, *super Evangelium:* "Descendens Jesus de monte." *Ut in communi plurimorum martyrum.*

R. 8. Hæc est vera.

*Nona lectio de vigilia SS. Apostolorum Simonis & Judæ, & de ea fit commemorationis in Laudibus.*

## DIE XXIX OCTOBRIS.

*In festo Sancti Marcelli martyris, hujus Civitatis Patroni. Duplex majus.*

*Omnia de communi unius martyris.*

*Oratio.*

Prästa, quæsumus omnipotens Deus, ut qui beati Marcelli martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus intuonominis amore roboremur. Per Dominum nostrum.....

## IN PRIMO NOCTURNO.

De Epistolâ beati Pauli Apostoli ad Romanos.

*Lectio 1. Cap. VIII, c.*

Fratres, Debitores sumus non carni, ut secundùm carnem vivamus. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriermini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater). Ipse

enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat.

¶. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit: \* Fundatus enim erat supra firmam petram. ¶. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad coelestia regna. Fundatus.....

*Lectio 2.*

Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundùm propositum vocati

sunt sancti. Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contranos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusavit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnnet? Christus Jesus, qui mortuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

*R.* Justus germinabit sicut filium: \* Et florebit in æternum ante Dominum. *V.* Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Et florebit.....

### Lectio 3.

Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an famæ? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (si-

cut scriptum est: Quia propter te mortificamur totâ die, aestimati sumus sicut oves occisionis). Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

*R.* Iste cognovit justitiam, & vidit mirabilia magna, & exoravit Altissimum: \* Et inventus est in numero sanctorum. *V.* Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad coelestia regna. Et inventus..... Gloria Patri..... Et inventus.....

### IN SECUNDO NOCTURNO.

#### Lectio 4.

Marcellus, Legione in Hispaniâ natus, nobilis genere, sed Fide nobilior: pater, non tam carné quàm spiritu, duodecim illustrium martyrum, Claudi, Luperpii, Victorii, Facundi, Primitivi, Fausti,

Januarii , Martialis , Emetherii , Celedonii , Servandi & Germani , centurio sub Diocletiano principe militavit. Is, cum ceteri omnes in natali die Imperatoris in profanis illis conviviis epularentur , atque idolis Imperatoriæque statuæ thus adolerent, tam impium facinus (ut Christianum hominem decebat) execratus, militiæ insignibus, vite scilicet, & cingulo rejectis, se deinceps Christo regi æterno militaturum, non Imperatoribus, à quibus milites surdis & multis idolis sacrificare compellebantur , liberâ constantique voce testatus est.

v). Honestum fecit illum Dominus , & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum : \* Et dedit illi claritatem æternam. v. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.....

### Lectio 5.

Stupefacti verò milites hæc audientes , illum tenuerunt, & quæ viderant, quæve audierant, Astasiano Fortunato Præsidi legionis Trojanæ, cuius ille centurio erat, nunciarunt: qui eum mox in car-

cerem detrudi mandavit. In judicium verò, expletis epulis, evocatus, cum Astasiano constantissimè respondisset, sibi, quod Christianus esset, non licere amplius sub Imperatoribus, dictam ob causam, nisi Christo Domino militare, ab eo in Mauritiam Tingitanam ad Aurelianum Agricolam , Præfecti praetorio vires agentem, missus est: qui, cum eum in Christianâ Religione firmissimum cerneret, quem à Christi cultu avocare non potuit, capite plecti iussit. Ejus corpus fideles, qui aderant eo in loco ubi passus, sepeliendum curarunt: quod deinde Legionem translatum, in Ecclesiâ sui nominis conditum est.

v). Desiderium animæ ejus tribuisti ei, Domine : \* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. v. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapi de pretioso. Et voluntate.....

Ex libro S. Cypriani Episcopi, de laude Martyrum.

### Lectio 6.

Toleranda igitur sunt om-

nia, patienda cuncta, nec appetendum quò modico gaudias tempore, & perpetuo puniaris ardore. Meminisse enim debes, velut quadam te fœderis pactione constrictum, ex qua aut capessendæ salutis sit justa conditio, aut pœnæ merita formido. Stas inter adversa pariter ac prospera, arma inter & tela, hincque te secularis ambitio, indè cœlestis admonet magnitudo. Si salutem times perdere, scito te mori posse. Porrò autem contemnenda tibi mors est, cui Christus occisus est.

¶. Stolâ jucunditatis induit eum Dominus: \* Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ¶. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aquâ sapientiae salvularis potavit illum. Et coronam..... Gloria Patri..... Et coronam.....

### IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

#### *Lectio 7.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulus suis: Si quis vult post me venire, abneget se-

met ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

### Homilia Sancti Gregorii Papæ.

#### *Homilia 32 in Evangelia.*

Quia Dominus ac Redemptor noster novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo. Vitæ etenim nostræ veteri in vitiis enutratae contrarietatem opposuit novitatis suæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo noverat, nisi sua retinere, aliena rapere si posset, concupiscere si non posset? Sed cœlestis medicus singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicinae calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præcipiteret humilitatem.

¶. Corona aurea super caput ejus: \* Expressa signo sanctitatis, gloriâ honoris, & opus fortitudinis. ¶. Quoniam prævenisti eum in benedictioni-

bus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapi- de pretioso. Expressa.....

*Lectio 8.*

Certè, cum se sequentibus nova mandata proponeret, di- xit: Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ac si apertè dicat: Qui per vitam veterem aliena concu- piscitis, per novæ conversa- tionis studium & vestra lar- gimini. Quid verò in hac lec- tione dicat audiamus: Qui vult post me venire, abneget semetipsum. Ibi dicitur ut abnegemus nostra: hic dicitur ut abnegemus nos. Et fortas- sè laboriosum non est homi- ni relinquere sua: sed valdè laboriosum est relinquere se- metipsum. Minus quippe est abnegare quod habet: valdè autem multum est abnegare quod est.

*R.* Hic est verè martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: \* Qui mi- nias judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia reg-

na pervenit. *V.* Justum dedu- xit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas.... Gloria Patri..... Qui minas.....

*Lectio 9.*

Ad se autem nobis venien- tibus Dominus præcepit ut renuntiemus nostris; quia qui- cumque ad fidei agonem ve- nimus, luctamen contra ma- lignos spiritus sumimus. Ni- hil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possi- dent: nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si ves- titus quisque cum nudo luc- tatur, citius ad terram dejici- tur, quia habet undè teneat- ur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corpo- ris indumenta? Qui ergo con- tra diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat.

Te Deum laudamus.....

IN SECUNDIS VESPERIS com- memoratio Sanctorum mar- tyrum *Claudii, Luperci & Victorii.*

## DIE XXX OCTOBRIS.

*In festo Sanctorum Claudii, Lupercii & Victorii,  
Fratrum martyrum. Duplex.*

*Omnia de communi plurimorum martyrum.*

*Oratio.*

Fraterna nos, Domine, martyrum tuorum Claudii, Lupercii & Victorii, corona lætificet, quæ & fidei nostræ præbeat incrementa virtutum, & multiplici nos suffragio consoletur. Per Dominum nostrum.....

*In PRIMO NOCTURNO lectio-  
nes de Scriptura occurrente.*

*IN SECUNDO NOCTURNO.**Lectio 4.*

Claudius, Lupercius & Victorius, Sancti Marcelli centurionis filii, ob sanctam Christi fidem, quam profitebantur, comprehensi, ad Dignianum Præsidem adducuntur: rogati autem ab eo, cur contra Imperatoris edictum Deos adorare contemnerent? responderunt se alios Deos colere

non debere, nisi Dominum Jesum Christum, omnium rerum creatorem: in qua fidei confessione perseverantes, abscisis capitibus, martyrii palmam, Diocletiano Imperatore, assecuti sunt. Eorum corpora Legione, ubi gloriósâ voce Dominum confessi fuerant, sepulta sunt. Nunc verò eadē in Urbe in Ecclesiā sancti Claudi requiescunt.

R). Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: \* Terra apparuit ariada, & in mari Rubro via sine impedimento. V). Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Terra.....

Sermo Sancti Joannis Chrysostomi.

*Serm. 1 de Mart. tom. 3.*

*Lectio 5.*

Nemo est qui nesciat martyrum glorias ad hoc divino consilio à Dei populis frequentari, ut & illis debitus honor dicetur, & nobis virtutis exempla, favente Christo, monstrantur: ut, dum haec ita celebrari perspicimus, cognoscamus quanta eos gloria maneat in cœlis, quorum natalitia taliter celebrantur in terris: quò possimus etiam ipsi talibus provocari exemplis, virtute pari, devotione consimili ac fide; ut, Christo præstante, dimicare & vincere hostem possimus: ut, partà victoriâ, cum iisdem sanctis in regnis coelestibus triumphemus.

R. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: \* Ut heredes fierent in domo Domini. v. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut heredes.....

*Lectio 6.*

Quis est enim, qui eorum

volens merito copulari, nisi priùs constantiam eorum teneat, sectetur fidem, imiteatur virtutem passionis; eorum gloriam paribus vitæ linementis aut inveniat, aut exquirat? Qui etsi martyrio par esse non possit, tamen muneris tanti dignitate se quisque bonis actibus dignum præbeat. Adest enim clementissimus Deus, qui desiderantibus suis aut martyrium præbeat, aut sine martyrio cum sanctis præmia divina retribuat.

R. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum: \* Quoniam donum & pax est electis Dei. v. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam..... Gloria Patri..... Quoniam.....

**IN TERTIO NOCTURNO.**

Homilia Sancti Gregorii Pape in Evangelium. "Cum audieritis prælia: de communi plurimorum martyrum."

R. 8. Hæc est vera.

## OFFICIUM PATROCINII

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS,

*fit in IV Dominica Novembris. Duplex majus.**Omnia ut in fine Breviarii Romani.**Si hoc festum venerit in Octava Dedicacionis Ecclesiæ,  
omittitur illo anno. Extra Civitatem fit de eo.**Illa censetur pro IV Dominica Novembris, quæ computatur pro  
quarta Dominica juxta ocurrentiam Dominicarum Novembris,  
omittatur, vel non, secunda Dominica ejusdem mensis.*

---

## DIE X NOVEMBRIS.

*In festo Dedicacionis hujus almæ Ecclesiæ Legio-  
nensis. Duplex primæ classis in totâ Diœcesi: in  
Civitate tantùm cum Octavâ.**In LAUDIBUS nihil de simplicibus.**Omnia ut in Breviario, in communi Dedicacionis Ecclesiæ.**IN SECUNDIS VESPERIS fit commemoratio Sancti Martini Epis-  
copi & Confessoris, tantùm.*

---

## DIE XI NOVEMBRIS.

*Secunda die infra Octavam Dedicacionis: fit de Sancto Martino Episcopo & Confessore. Duplex.*

**NONA LECTIO** *Sancti Mennæ, & commemoratione Octavæ, & Sancti Mennæ martyris IN LAUDIBUS.*

**IN VESPERIS** *commemoratio Sancti Martini Papæ & martyris, & Octavæ.*

---

## DIE XII NOVEMBRIS.

*Tertia die infra Octavam: fit de Sancto Martino Papa & martyre. Semiduplex cum commemoratione Octavæ.*

**IN VESPERIS à capitulo** *fit de Sancto Didaco, cum commemoratione Sancti Martini, & Octavæ.*

---

## DIE XIII NOVEMBRIS.

*Quarta die fit de Sancto Didaco, cum commemoratione Octavæ.*

**IN VESPERIS à capitulo de Octava,** *cum commemoratione Sancti Didaci.*

**DIE XIV NOVEMBRIS.**

*Officium fit de infra Octava. Semiduplex.*

*Omnia ut in die quinta in communi Dedicationis Ecclesiae.*

*Extra Civitatem fit de feria.*

*Vesperæ Sancti Eugenii martyris, & commemorationis Octavæ.*

---

**DIE XV NOVEMBRIS.**

*Sexta die in festo Sancti Eugenii Archiepiscopi Tolletani & martyris. Duplex, cum commemoratione Octavæ in Laudibus & Vespereis.*

---

**DIE XVI NOVEMBRIS.**

*Officium de infra Octava. Semiduplex.*

*Omnia ut in die septima in communi Dedicationis Ecclesiae.*

*Extra civitatem de feria.*

*Vesperæ diei Octavæ, ut in primis Vesperis festi.*

## DIE XVII NOVEMBRIS.

*Octava Dedicacionis Ecclesiae. Duplex.*

*Omnia ut in Breviario, in communi Dedicacionis Ecclesiae  
in Octava.*

*Extra Civitatem officium fit de Sancto Gregorio Thaumaturgo. Semiduplex.*

*In VESPERIS à capitulo fit de Dedicacione Basilicarum Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. ORATIO. Deus, qui nobis.....*

*Deinde fit commemoratio Octavæ. ORATIO. Deus, qui invisibiliter.....*

## DIE XXI. NOVEMBRIS.

*In festo Præsentationis Beatæ Mariæ Virginis.*

Duplex majus.

*Si hoc festum venerit in die Patrocinii, transfertur in aliam diem non impeditam.*

*Omnia ut in Breviario Romano.*

## DIE XXVII NOVEMBRIS.

*In festo Sanctorum Facundi & Primitivi, Fratrum martyrum. Duplex.*

*Omnia de communi plurimorum martyrum.*

*Oratio.*

Deus, qui nos concedis sanctorum martyrum tuorum Facundi & Primitivi natalitia colere: da nobis in æternâ beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum nostrum.....

IN PRIMO NOCTURNO *lectio-nes de Scriptura occurrente.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

*Lectio 4.*

Facundus & Primitivus, beati Marcelli martyris filii, Christianæ religionis apud Atticum Præsidem accusati sunt. A quo interrogati num Christiani essent, Christianos se esse liberâ voce responderunt. Et cum rursus quæreretur ab eis an Imperatoris edictum, quo sancitum erat diis immolari, ignorantem; illud se

non ignorare dixerunt, hoc insuper adjicientes, paratos se pro Christi fide, cui soli, ut verò Deo & Domino, toto corde serviebant, ad mortem usque decertare. Præses hæc audiens, verbisque proficere se quidquam posse desperans, tormentis ac poenis cum sanctis agere statuit. Digitos igitur primum illis amputari præcepit; tūm compedibus constrictas crudelissimè dilaniari tibias, & deindè teturum in carcerem detrudi. Quæ omnia alaci animo fortissimi martyres toleraverunt, Deo jugiter gratias agentes, quod pro nomine ejus digni habití essent cruciatus sustinere.

R. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: \* Terra apparuit arida, & in mari Rubro via sine im-

pedimento. ¶ Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Terra apparuit.....

*Lectio 5.*

Præses autem cum spe frus-tratum se cerneret, ad blanditias, quibus sanctorum animos deliniret, sese convertit. Conquisitos itaque & lautos ad eos in carcere de mensâ suâ cibos misit: quos illi veluti mortiferos accipere renuerunt. Quare vehementius ille indignatus, in fornacem ardentem eos conjici jussit, in qua illæsi & incolumes triduum admirabiliter permanserunt. Quod ubi Præses animadvertisit, eis indè extractis, cibos veneno infectos exhibere præcepit. Quos ubi facto Crucis signo intrepidè deglutissent, nec proindè molestiæ quidquam passi essent, qui eos cibos confecerat, illius rei admirabilitate perspectâ, Je-su-Christi fidem suscepit. His autem iratior Præses factus, jussit confessim sanctos ferreis unguulis crudelissimè excarnificari, ardenterbusque facibus eorum lateribus admotis aduri, tum calcem ardenter in ora ipsorum injici. Verùm, cum

Christum adhuc confiterentur, serventi oleo toto corpore delibuti, erutisque oculis, patientiâ, qua hæc, & alia tolerarunt cruciamenta, & quam unicè Christum diligenter, & quam avidè martyrium sitient, apertius indicarunt.

¶ Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: \* Ut heredes fierent in domo Domini. ¶ Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut heredes.....

*Lectio 6.*

Post hæc judex in impietate perseverans, eos suspendi præcepit: cum autem ex eorum corporibus dilaniatis magna vis sanguinis proflueret, existimantes tortores eos mortuos, indè recesserunt. Deus autem, cui curæ sunt timen-tium se, sanctos fratres in pristinam sanitatem restituit. Qua cognitâ re, Præses eos vivos decorari mandavit: quod dum fieret, quidam è circumstantibus, cunctis audiencibus, palam dicere cœpit videre se duos Angelos, binas coronas afferentes, unam Facundo, & alteram Primitivo: quod Atticus Præses au-

diens: Capita, inquit, amputentur, ne sit locus coronis. Sicque beatissimi martyres, præclarâ pugnâ confectâ, cum magnum fidei, pietatis, & constantiae exemplum præbuissent, demum gladio percussi, victores in cœlum evolarunt. Martyrium autem compleverunt in Gallæciâ apud Caem fluvium, quinto Kalendas Decembris, ubi à Christianis eorum corpora honorificè sepulta sunt.

v). Tamquam aureum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum: \* Quoniam donum & pax est electis Dei. v. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam..... Gloria Patri.... Quoniam.....

**IN TERTIO NOCTURNO.**  
Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

*Lectio 7.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Dico autem vobis amicis meis ne ter-

reamini ab his, qui occidunt corpus. Et reliqua.

**Homilia Sancti Augustini  
Episcopi.**

*Lib. 14 contra Faustum Manich.  
cap. 12.*

Christianus ædificatus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, attendit singulas causas, & singula maledicta. Videt unum pertinere ad corpus mortale, quod ligno suspenditur, alterum ad animam, quo Sol suspenditur. Etsi enim corpus inclinatur in adorando, animus tamen aut colit quod adorat, aut fingit: utrumque autem perniciosum est. Quapropter, quoniam maledictum in utroque mors meruit, sicut mors est corporis in ligno pendere, ita mors animi est Solem adorare: eligendum est enim maledictum in corporis morte, quo maledicto, & ipsum corpus in resurrectione liberabitur; evitandum autem maledictum in animæ morte, ne cum suo corpore in æterno igne damnetur. Hanc enim quæstionem nobis Dominus solvit, dicens: Nolite timere

eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: sed eum timete qui habet potestatem & animam & corpus occidere in gehennam ignis: tamquam diceret: Nolite timere maledictum corporalis mortis, quod temporaliter solvit, sed timete maledictum spiritualis mortis, per quod anima in aeternum cum suo corpore cruciatur.

R. Propter testamentum Domini, & leges paternas, sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis: \* Quia unus fuit semper spiritus in eis, & una fides. v. Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Quia unus.....

### Lectio 7.

#### *De verbis Domini, sermo 6.*

Sicut capilli in corpore nostro tamquam superflui videntur, & sine detimento carnis raduntur; sic quidquid potest tibi facere iratus potens, inter superflua tua numero: tollit paupertatem tuam, numquid tollit divitias tuas? Paupertas tua divitiae tuae in corde tuo: superflua tua potuit tollere, dam-

no potuit afficere, permisso est usque ad laedendum corpus: etiam ista vita cogitantibus aliam vitam, ista inter superflua deputanda est. Nam & martyres contempserunt illam, non vitam perdiderunt, sed vitam acquisiverunt. Certi estote, fratres, inimicos noni admitti adversus fideles, nisi quantum prodest tentandis & probandis fidelibus. Certi estote, fratres, nemo aliud dicat. Omnem curram vestram super Dominum mittite, prorsus vos ipsos totos projicite in illum: non se subducit, ut cadatis, ille qui nos creavit, & de ipsis capillis nostris securitatem nobis dedit. Amen dico vobis, inquit, & capilli capitum vestri numerati sunt. Capilli nostri numerati sunt Deo: quantò magis mores nostri, cui sic noti sunt capilli nostri? Videte quia minima nostra non contemnit Deus: nam si contemneret, non crearet: nam & capillos nostros ipse utique creavit, & numeratos habet. Sed modò cum sunt, inquis, fortè peribunt; & hinc audi vocem ejus: Amen dico vobis, capillus capitum vestri non peribit.

v. Hæc est vera fraternitas, quæ numquam potuit violari certamine: qui effuso sanguine secuti sunt Dominum: \* Contemnentes aulam regiam, pervenerunt ad regna colestia. v. Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Contemnentes..... Gloria Patri..... Contemnentes.....

*Lectio 9.*

Quid times hominem, homo in sinu Dei positus? Tu de illius sinu noli cadere: quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem. Laniatus membrorum martyres pertulerunt, & timenter Christiani injurias temporum Christianorum. Quid tulit potens nocens? quid magnum tulit? quod fur, quod esfractor, ut multum saeviat; quod latro: si & ad

ipsum corpus occidendum permisso fuerit, quid tollit nisi quod latro? Honoravi cum dixi latronem: qualiscumque latro homo est. Quod febris, quod scorpius, quod fungus malus, ista tota potentia saevientium est, facere quod fungus. Manducant homines fungum malum, & moriuntur. Ecce in qua fragilitate est vita humana, quam quandoque relicturus es: noli pro illâ sic pugnare, ut tu relinquaris. Via nostra Christus est: Christum attende, pati venit, sed & glorificari: contemni, sed etiam exaltari: mori, sed etiam resurgere: opus te terret, mercedem vide. Quare vis pervenire delicatus ad eam rem, ad quam non perducit nisi labor?

Te Deum laudamus....

## DIE XV DECEMBRIS.

*In Octava Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.*

Duplex.

*Si venerit in Dominica Adventus, fit de ea cum commemo ratione Octavæ.*

## DIE XXII DECEMBRIS.

*In festo Translationis Sancti Isidori Episcopi & Confessoris, & Ecclesiæ Doctoris Duplex.*

*Omnia de communi Confessoris Pontificis, præter ea quæ hic habentur propria.*

*In hymno Iste Confessor dicatur: Hac die latus meruit supremos Laudis honores.*

## AD MAGNIFICAT.

*Aña. O Doctor optimus.....*  
*Oratio.*

Exaudi, quæsumus Domine, preces nostras, quas in beati Isidori Confessoris tui, atque Pontificis, translatione deferimus: & qui tibi dignè meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum nostrum.....

IN PRIMO NOCTURNO *lectiones de Scriptura occurrente.*

*Si hoc festum venerit in quatuor temporibus, lectiones primi Nocturni Sapientiam.....*  
*de communi Doctorum.*

## IN SECUNDO NOCTURNO.

*Ex monumentis Legionensis Ecclesiæ, Luca Tudensi, & aliis.*

## Lectio 4.

Ferdinandus Rex hujus nominis primus, superatis, profligatisque Saracenis, Benabettum Hispalis Regem barbarum ad id impulit, ut corpora Sanctorum Virginum, & martyrum Justæ & Ruffinæ, quæ Hispali sine veneratione jacebant, sibi traderentur. Cùm autem summo honore ea excipere decrevisset, legatos ad id muneris destinavit Alvitum Legionensem Episcopum, sanctitatis laude præclarum, & Ordonium Astu-

icensem singularis prudentiae virum. Hos, eodem Rege jubente, Munio Comes, & Ferdinandus, ac Gundisalvus ex primis Regis Aulicis, firmâ militum manu eos secante, comitati sunt, quibus id munus impositum, ut Episcoporum latera sacrumque feretrum ad beatas reliquias tutandas cingerent.

R). Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. ¶ Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.....

### Lectio 5.

Ubi autem ad Benabetum Regem ventum, data est ab eo Episcopis licentia sacra pignora inquirendi, qui per triduum jejunantes Deum obnixè deprecabantur, ut quo loco ipsarum sepulchra essent, illis indicaret. Itaque sanctus Alvitus tertiam nocte somno correptus, senem canitie & pontificali habitu venerabilis vidit sibi dicentem: Ego sum Isidorus hujus Urbis Episcopus. Voluntas Dei est, ut Legionem corpus meum deferatur: Hispalis verò san-

tarum Justæ & Ruffinæ praesidio non destituatur: locumque simul ubi suum corpus quiesceret, commonstravit. Ordonio quoque idem quod Alvito per somnum contigit.

R). Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe meā: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. ¶ Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.....

### Lectio 6.

Id cum ab Alvito, qui eum & Ordonium comitati fuerant, percepissent, ingenti gaudio repleti sunt, precibusque à Rege Sancti Isidori corpus impetrarunt: quo invento, suavissimo odore, qui inde exhalavit, perfusi sunt. Ad idem præterea corpus in ipso quoque itinere multa, magnaque miracula facta narrantur: energumeni à dæmonibus, ægri ab incurabilibus morbis liberati, domum sani redierunt. Ubi verò sacrum corpus ripas Doriem tetigit, ab Episcopis, Clero, Rege, & ejus conjugé Sancia, & filiis, frequentissimo populi concursu, ingenti religione, ac pompâ exceptum est. De-

mum Legionem delatum, in Ecclesiâ sui nominis ab eodem Rege magnis opibus extrectâ honorificentissimè conditum est.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus repleta est: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populum. V. Iste est qui contem-

sit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat..... Gloria Patri..... Ipse intercedat....

## IN TERTIO NOCTURNO.

Homilia Sancti Augustini Episcopi super Evangelium: "Vos estis sal terræ," ut in communi Doctorum.

## DIE XXXI DECEMBERIS.

*In festo Translationis Sancti Jacobi. Duplex majus.*

*Omnia ut in Breviario, in Sanctis Hispaniæ.*



**Ordo perpetuus recitandi Antiphonas proprias , in Breviario assignatas sex feriis ante Nativitatem Domini , juxta rubricas dispositus , per ordinem , occurrentiamque litterarum Dominicalium.**

*In quolibet anno Bissextili utitur universalis Ecclesia duabus litteris Dominicalibus , sed hic utitur tantum ultima earum.*

*Quando occurrit littera Dominicalis A.*

**DIE XVI DECEMBRIS,**

*Quæ est Sabbatum , fit officium de feria. Ad Laudes & per Horas , AÑÆ. feriæ secundæ, incipientes: Ecce veniet.... omissa quarta Haurietis..... cuius loco dicitur: Date magnitudinem.... quæ est in Psalterio , ad Canticum.*

**DIE XVII DECEMBRIS.**

*Fit de Dominica tertia Adventus. Vesperæ Expectationis , commemoratio Domini cœ. AÑA. O Sapientia.....*

**DIE XVIII DECEMBRIS.**

*Fit de Expectatione Bea-*

*tæ Mariæ Virginis. Duplex majus.*

**IN VESPERIS commemoratio feriæ. AÑA. O Adonai.....**

**DIE XIX DECEMBRIS.**

*Fit de feria tertia. Ad Laudes & per Horas , AÑÆ. Rorate cœli..... ejusdem feriæ.*

**IN VESPERIS ad Magnificat, AÑA. O Radix..... & duplicatur.**

**DIE XX DECEMBRIS.**

*Fit de feria quarta. Ad Laudes & per Horas , AÑÆ. ejusdem feriæ, incipientes: Prophe-*

tæ..... *Vesperæ Sancti Thomæ. Pro commemoratione Adventus, AÑA. O Clavis.....*

## DIE XXI DECEMBRIS.

*In festo Sancti Thomæ Apostoli. Duplex secundæ classis. IN LAUDIBUS commemoratio Adventus, AÑA. Nolite timere..... In VESPERIS commemoratio Sancti Isidori & feriæ, AÑA. O Oriens...*

## DIE XXII DECEMBRIS.

*In festo Translationis Sancti Isidori. Duplex, ut supra.*

IN SECUNDIS VESPERIS commemorationis Adventus, AÑA. O Rex.....

## DIE XXIII DECEMBRIS,

*Quæ est Sabbatum fit de feria. Ad Laudes & per Horas, AÑA. Canite tuba..... cum reliquis de Dominica quarta Adventus, omissa quarta quæ incipit: Dominus veniet.... cuius loco dicitur Expectetur.... Ad Benedictus, AÑA. Ecce completa.....*

IN VESPERIS ad Magnificat AÑA. O Emmanuel..... & duplicatur.

## Quando occurrit littera Dominicalis B.

## DIE XVI DECEMBRIS.

*Fit de feria sexta. Ad Laudes & per Horas, Añæ. feriæ secundæ, incipientes: Ecce veniet..... quæ occurrunt in die Expectationis, omissa quartæ quæ incipit: Haurietis..... cuius loco dicitur, AÑA. Domine audivi..... quæ est in Psalterio, ad Canticum.*

## DIE XVII DECEMBRIS,

*Quæ est Sabbatum, fit de fe-*

*ria. Ad Laudes & per Horas dicuntur Añæ. propriæ feriæ quartæ, incipientes: Prophetæ..... quæ occurrunt in die Sancti Thomæ, omissa quartæ: Ecce veniet..... cuius loco dicitur: Expectetur.... Vesperæ de Psalterio, capitulum Dominicæ quartæ Adventus. Ad Magnificat, AÑA. O Sapientia..... quæ duplicatur.*

## DIE XVIII DECEMBRIS.

*Fit de Dominica quarta Adventus. Vesperæ Expectationis. Commemoratio Dominiæ, AÑA. O Adonai.....*

## DIE XIX DECEMBRIS.

*In festo Expectationis Beatæ Mariæ Virginis. Duplex majus.*

*IN SECUNDIS VESPERIS commemoratio feriæ, AÑA. O Radix.....*

## DIE XX DECEMBRIS,

*Quæ est feria tertia, fit de ea. Ad Laudes & per Horas, AÑA. Rorate..... ejusdem feriæ. Vesperæ Sancti Thomæ, commemoratio Adventus, AÑA. O Clavis.....*

## DIE XXI DECEMBRIS.

*In festo Sancti Thomæ Apos-*

*toli, secundæ classis. In Laudibus commemoratio Adventus, AÑA. Nolite timere.....*

*IN SECUNDIS VESPERIS commemoratio Sancti Isidori & feriæ, AÑA. O Oriens.....*

## DIE XXII DECEMBRIS.

*In festo Translationis Sancti Isidori Episcopi & Confessoris. Duplex.*

*Commemoratio feriæ in Laudibus, & secundis Vesperis, AÑA. O Rex.....*

## DIE XXIII DECEMBRIS,

*Quæ est feria sexta, fit de ea. Ad Laudes & per Horas, Añæ. ejusdem feriæ, incipientes: Constantes.... Ad Benedictus, AÑA. Ecce completa..... In Vesperis ad Magnificat, AÑA. O Emmanuel.... quæ duplicatur.*

Quandò occurrit littera Dominicalis C.

## DIE XVI DECEMBRIS,

*Quæ est feria quinta, ponuntur Añæ. feriæ quartæ inci-*

*pientes: Rorate..... quæ occur-  
runt die Sancti Thomæ, omis-  
sa quinta quæ incipit: Da mer-*

cedem..... cuius loco dicitur:  
Cantemus..... quæ est in  
Psalterio , ad Canticum. veniet..... Vesperæ Sancti  
Thomæ. Pro commemoratione  
Adventus, AÑA. O Clavis....

## DIE XVII DECEMBRIS.

*Fit de feria sexta. Ad Lau-  
des & per Horas, Añæ. ejus-  
dem feriæ, incipientes: Con-  
stantes..... Vesperæ Expecta-  
tionis, commemorationi feriæ,  
AÑA. O Sapientia.....*

## DIE XVIII DECEMBRIS.

*Fit de Expectatione Beatæ  
Marie Virginis. Duplex ma-  
jus.*

*IN SECUNDIS VESPERIS com-  
memoratio Dominicæ quartæ Adven-  
tus, AÑA. O Adonai.....*

## DIE XIX DECEMBRIS.

*Fit de Dominica quarta Ad-  
ventus. In Vesperis ad Mag-  
nificat , AÑA. O Radix....  
duplex.*

## DIE XX DECEMBRIS.

*Fit de feria secunda. Ad Lau-  
des & per Horas, Añæ ejus-  
dem feriæ, incipientes: Ecce*

## DIE XXI DECEMBRIS.

*In festo Sancti Thomæ Apos-  
toli. Duplex secundæ classis.  
IN LAUDIBUS commemoratio Ad-  
ventus, AÑA. Nolite timere.....  
IN VESPERIS commemoratio San-  
cti Isidori & feriæ, AÑA. O Oriens...*

## DIE XXII DECEMBRIS.

*In festo Translationis Sancti  
Isidori Episcopi & Confesso-  
ris. Duplex.*

*Commemoratio feriæ in Laudibus,  
& secundis Vesperis, AÑA. O Rex....*

## DIE XXIII DECEMBRIS,

*Quæ est feria quinta , fit de  
ea. Ad Laudes & per Horas,  
Añæ. propriæ ejusdem feriæ,  
incipientes: De Sion..... Ad  
Benedictus , AÑA. Ecce com-  
pleta.....*

*IN VESPERIS ad Magnificat ,  
AÑA. O Emmanuel.... & duplica-  
tur. AÑA. Expectetur..... omitti-  
tur hoc anno.*

Quando occurrit littera Dominicalis **D.**

**DIE XVI DECEMBRIS,**

*Quæ est feria quarta, fit de ea. Ad Laudes & per Horas, Añæ. ferie sextæ, incipientes: Constantes..... quæ occurrunt die Expectationis Beatæ Mariæ Virginis, omissa quarta, quæ incipit: Deus à Libano..... cuius loco dicitur: AÑA. Dominus judicabit..... quæ est in Psalterio, ad Canticum.*

**DIE XVII DECEMBRIS.**

*Fit de feria quinta. Ad Laudes & per Horas, Añæ. ejusdem ferie, incipientes: De Sion..... Vesperæ Expectationis Beatæ Mariæ Virginis. Commemoratio ferie, AÑA. O Sapientia.....*

**DIE XVIII DECEMBRIS.**

*In festo Expectationis Beatæ Mariæ Virginis. Duplex manus.*

*In secundis Vesperis commemoratione ferie, AÑA. O Adonai.....*

**DIE XIX DECEMBRIS,**

*Quæ est Sabbathum, fit de feria. Ad Laudes & per Horas, Añæ. ferie secundæ, incipientes: Ecce veniet..... quæ occurrunt die Sancti Thomæ, omissa quarta, quæ incipit: Haurietis.... cuius loco dicitur: AÑA. Expectetur.....*

*IN VESPERIS capitulum Dominicæ quartæ Adventus. Ad Magnificat. AÑA. O Radix..... quæ duplicatur.*

**DIE XX DECEMBRIS.**

*Fit de Dominica quarta Adventus.*

*Vesperæ Sancti Thomæ, commemoratione Dominicæ, AÑA. O Clavis.....*

**DIE XXI DECEMBRIS.**

*In festo Sancti Thomæ Apostoli. Duplex secundæ classis.*

*IN LAUDIBUS commemoratione ferie, AÑA. Nolite timere.....*

*IN SECUNDIS VESPERIS, commemoratione Sancti Isidori & ferie, AÑA. O Oriens.....*

## DIE XXII DECEMBRIS.

*In festo Translationis Sancti Isidori, Episcopi & Confessoris. Duplex.*

*Cum commemoratione Adventus, in Laudibus, & secundis Vesperis, AÑA. O Rex.....*

## DIE XXIII DECEMBRIS,

*Quœ est feria quarta, fit de ea. Ad Laudes & per Horas, Añœ. ejusdem feriœ, incipientes: Prophetæ..... Ad Benedictus, AÑA. Ecce completa..... Vesperœ de Psalterio. Ad Magnificat, AÑA. O Emmanuel.... quœ duplicatur.*

*Quandò occurrit littera Dominicalis E.*

## DIE XVI DECEMBRIS,

*Quœ est feria tertia, fit de ea. Ad Laudes & per Horas, Añœ. ejusdem feriœ, incipientes: Rorate Cœli..... Vesperœ de Psalterio.*

*tæ Mariœ Virginis. Duplex majus.*

*IN SECUNDIS VESPERIS commemoratio Adventus, AÑA. O Adonai.....*

## DIE XIX DECEMBRIS.

*Fit de feria sexta. Ad Laudes & per Horas, Añœ. ejusdem feriœ, incipientes: Constantes.....*

*IN VESPERIS ad Magnificat, AÑA. O Radix..... duplicatur.*

## DIE XX DECEMBRIS,

*Quœ est Sabbatum, fit de feria. Ad Laudes & per Horas, Añœ. feriœ secundœ, incipientes:*

Q

## DIE XVIII DECEMBRIS.

*In festo Expectationis Bea-*

*tes: Ecce veniet..... quæ occur-  
runt in die Translationis S. Isi-  
dori, omissa quarta quæ inci-  
pūt: Haurietis..... cuius loco di-  
citur: Añā. Expectetur.....  
Vesperæ de Psalterio, capi-  
tulum Dominicæ quartæ Ad-  
ventus. Ad Magnificat, AÑA.  
O Clavis..... quæ duplicatur.*

## DIE XXI DECEMBRIS.

*Fit de Dominica quarta Ad-  
ventus. Ad Benedictus, AÑA.  
Nolite timere..... Vesperæ  
Sancti Isidori, commemoratio  
Dominicæ, AÑA. O Oriens.....*

## DIE XXII DECEMBRIS.

*In festo Translationis Sancti  
Isidori, Episcopi & Confesso-  
ris. Duplex.*

*Commemoratio feriæ in Laudibus.  
Vesperæ Sancti Thomæ, com-  
memoratio Sancti Isidori & feriæ,  
AÑA. O Rex.....*

## DIE XXIII DECEMBRIS.

*In festo Sancti Thomæ Apos-  
tolii. Duplex secundæ classis.  
IN LAUDIBUS commemoratio fe-  
riæ, AÑA. Ecce completa.....  
Et IN SECUNDIS VESPERIS, AÑA  
O Emmanuel.....*

## Quando occurrit littera Dominicalis F.

## DIE XVI DECEMBRIS,

*Quæ est feria secunda, fit de-  
ea. Ad Laudes & per Horas,  
Añœ. ejusdem feriæ, incipi-  
entes: Ecce veniet..... Vesperæ  
de Psalterio.*

*te Cœli..... Vesperæ de Ex-  
pectatione Beatæ Mariæ Vir-  
ginis. Commemoratio feriæ,  
AÑA. O Sapientia.....*

## DIE XVII DECEMBRIS.

*Fit de feria tertia. Ad Lau-  
des & per Horas, Añœ. ejus-  
dem feriæ, incipientes: Rora-*

## DIE XVIII DECEMBRIS.

*In festo Expectationis Bea-  
tæ Mariæ Virginis. Duplex  
majus,  
IN SECUNDIS VESPERIS com-  
memoratio feriæ, AÑA. O Adonai....*

## DIE XIX DECEMBRIS.

*Fit de feria quinta. Ad Laudes et per Horas, Añæ. ejusdem feriæ, incipientes: De Sion.....*

*Vesperæ de Psalterio. Ad Magnificat, AÑA. O Radix..... quæ duplicatur.*

## DIE XX DECEMBRIS.

*Fit de feria sexta. Ad Laudes & per Horas, Añæ. ejusdem feriæ, incipientes: Constantes.....*

*Vesperæ Sancti Thomæ. Pro commemoratione Adventus, AÑA. O Clavis.....*

## DIE XXI DECEMBRIS.

*In festo Sancti Thomæ Apostoli. Duplex secundæ classis.*

---

*IN LAUDIBUS fit commemoratio feriæ. AÑA. Nolite timere.....*

*IN SECUNDIS VESPERIS commemoratio Dominicæ quartæ Adventus. AÑA. O Oriens.....*

## DIE XXII DECEMBRIS.

*Fit de Dominica quarta Adventus. Vesperæ Sancti Isidori, commemoratio Dominicæ. AÑA. O Rex.....*

## DIE XXIII DECEMBRIS.

*In festo Translationis Sancti Isidori, Episcopi & Confessoris. Duplex.*

*IN LAUDIBUS commemoratio feriæ. AÑA. Ecce completa.....*

*Et IN SECUNDIS VESPERIS. AÑA. O Emmanuel..... AÑA. Expectetur..... omittitur hōc anno.*

Quando occurrit littera Dominicalis G.

## DIE XVI DECEMBRIS.

*Fit de Dominica tertia Adventus occurrente.*

## DIE XVII DECEMBRIS.

*Fit de feria secunda. Ad Lau-*

*des & per Horas, Añæ. ejusdem feriæ, incipientes: Ecce veniet.....*

*Vesperæ Expectationis Beatæ Mariæ Virginis, commemoratio feriæ. AÑA. O Sapientia.....*

## DIE XVIII DECEMBRIS.

*In festo Expectationis Beatæ Mariæ Virginis. Duplex manus.*

**IN SECUNDIS VESPERIS,** pro commemoratione feriæ, AÑA. O Adonai.....

## DIE XIX DECEMBRIS.

*Fit de feria quarta. Ad Laudes & per Horas, AÑE. ejusdem feriæ, incipientes: Prophetæ.*

**IN VESPERIS ad Magnificat, AÑA.**  
O Radix..... duplex.

## DIE XX DECEMBRIS.

*Fit de feria quinta, ponuntur AÑE. ejusdem feriæ, incipientes: De Sion.....*

*Vesperæ Sancti Thomæ. Pro commemoratione Adventus, AÑA. O Clavis.....*

## DIE XXI DECEMBRIS.

*In festo Sancti Thomæ Apostoli. Duplex secundæ classis.*

*Commemoratio feriæ in Laudibus, AÑA. Nolite timere.....*

*Et IN SECUNDIS VESPERIS, Sancti Isidori & feriæ, AÑA. O Oriens...*

## DIE XXII DECEMBRIS.

*In festo Translationis Sancti Isidori Episcopi & Confessoris. Duplex.*

*Commemoratio feriæ in Laudibus,*

*Et IN SECUNDIS VESPERIS, Dominica quartæ Adventus, AÑA. O Rex..... AÑA. Expectetur..... omititur hoc anno.*

## DIE XXIII DECEMBRIS.

*Fit de Dominica quarta Adventus. Ad Benedictus, AÑA. Ecce completa sunt omnia.....*

**IN VESPERIS ad Magnificat, AÑA.**  
O Emmanuel..... quæ duplicatur.

*Ces. Card. Baronius.*

F I N I S.

# APPROBATIO ET LICENTIA

*sacræ Congregationis Rituum.*

---

Officia supradicta propria Sanctorum Ecclesiæ Legionensis, cum Octavis & Missis, ubi assignantur, ad instantiam & supplicationem Capituli ejusdem Ecclesiæ Legionensis, & pro dicto Capitulo Jacobo Alvarez Quiñones, Canonico Ovetensi instantte, ex ordine, & de mandato Sacræ Congregationis Rituum diligenter revisa, & emendata, & ab Illustrissimo D. Card. Baronio subscripta, eadem Sacra Rituum Congregatio approbavit: & ut imprimi possint, & in dictâ Ecclesiâ Legionensi, ejusque Dioecesi liberè & licitè recitari, etiam si in Kalendarium Romanum omnia relata non sint, licentiam concessit. Data xi Decembris MDCIV.

*P. Ep. Ostien. Card. Comen.*

*I. B. Mucancius Secret. Congreg.*

# KALENDARIUM

Sanctorum Legionensis Ecclesiæ, qui in hoc appendice continentur,

De quibus, auctoritate Apostolica, Officium proprium celebratur in Civitate, & Dioecesi.

---

## JANUARIUS.

- |    |  |        |
|----|--|--------|
| 14 | <i>Sanctissimi Nominis Jesu.</i> Duplex secundæ classis,<br>ut in codice Toletano.               |        |
| 23 | <i>S. Ildephonsi Archiepiscopi Toletani.</i> Duplex ut in<br>Breviario in SS. Hispaniae. . . . . | pág. 1 |

## FEBRUARIUS.

- |   |  |     |
|---|--|-----|
| 6 | <i>S. Andreæ Corsini Episcopi &amp; Confes.</i> Semiduplex,<br>ut in Breviario Romano. . . . . | ib. |
|---|--|-----|

## MARTIUS.

- |    |  |     |
|----|--|-----|
| 1  | <i>S. Angeli Custodis.</i> Duplex majus. . . . .           | ib. |
| 3  | <i>SS. Emetherii &amp; Celedonii martyrum.</i> Duplex. . . | 18  |
| 11 | <i>S. Vincentii Abbatis &amp; mart.</i> Duplex. . . . .    | ib. |

## APRILIS.

- |    |  |    |
|----|--|----|
| 16 | <i>S. Thuribii Episcopi &amp; Confes.</i> Duplex. . . . .  | 23 |
|    | <i>Feria V post Octavam Paschæ, fit de S. Isidoro<br/>Archiepiscopo Hispalensi, Ecclesiæ Doct.</i> Du-<br>plex primæ classis & cum Octavâ in civitate<br>tantùm. . . . A 27 usque ad . . . . . | 47 |

## JUNIUS.

- |    |   |    |
|----|---|----|
| 26 | <i>S. Pelagii martyris.</i> Duplex. . . . . | 50 |
|----|---|----|

## JULIUS.

16 <i>Triumphi S. Crucis.</i> Duplex majus, ut in Breviario in SS. Hispan. . . . .	53
18 <i>Commemorationis solemnis Beatæ Mariæ de Mon- te Carmelo.</i> Duplex majus. . . . .	ib.
25 <i>S. Jacobi Apostoli Hispaniarum præcipui Patroni.</i> Duplex primæ clasis. . . . .	54
26 <i>S. Annæ Matris B. Mariæ Virg.</i> Duplex. . . . .	ib.

## AUGUSTUS.

11 <i>Translationis S. Froylani Patroni nostri.</i> Duplex. . . . .	ib.
15 <i>Assumptionis B. M. V. Titularis S. Ecclesiæ Le- gion.</i> Duplex primæ classis. . . . .	58

## SEPTEMBER.

2 <i>S. Antonini mart.</i> Duplex secundæ classis. . . . .	58
3 <i>S. Stephani Regis Hungariæ.</i> Semiduplex. . . . .	63
4 <i>S. Rosaliae Virg.</i> Semiduplex. . . . .	64
5 <i>Commemorationis S. Juliani.</i> Duplex. . . . .	ib.
6 <i>De infraoctava S. Antonini.</i> . . . . .	ib.
7 <i>De infraoctava S. Antonini.</i> Semiduplex. . . . .	68
8 <i>Nativitatis B. M. V.</i> Duplex secundæ classis. . . . .	71
9 <i>Octavæ S. Antonini.</i> Duplex. . . . .	72
25 <i>S. Laurentii Justiniani.</i> Semiduplex ad libitum. . . . .	76

## OCTOBER.

5 <i>S. Froylani Episcopi &amp; Confessoris, Patroni Ec- clesiae Legion. &amp; totius Diœces.</i> Duplex primæ classis cum Octavâ. . . . .	76
6 <i>S. Brunonis Conf.</i> Duplex. . . . .	81
7 <i>De infraoctava S. Froylani.</i> Semiduplex. . . . .	82
8 <i>S. Birgittæ Viduæ.</i> Semiduplex. . . . .	85
9 <i>SS. Dionisii &amp;c. mart.</i> Semiduplex. . . . .	ib.
10 <i>S. Francisci de Borgia.</i> Duplex secundæ classis. . . . .	ib.

11	<i>S. Ludovici Bertrandi. Duplex.</i>	85
12	<i>Octavæ S. Froylani. Duplex.</i>	86
13	<i>SS. Fausti, Januarii &amp; Martialis mart. Duplex.</i>	89
23	<i>SS. Servandi &amp; Germani mart. Duplex</i>	91
27	<i>SS. Vincentii, Sabinæ &amp; Christetæ mart. Duplex.</i>	95
29	<i>S. Marcelli mart. Duplex majus.</i>	97
30	<i>SS. Claudii, Lupercii &amp; Victoris mart. Duplex.</i>	102

## NOVEMBER.

di	<i>Officium Patrocinii B. M. V. fit in quarta Dominica Novembri, &amp; de ea fit commemoratione in primis Vesperis. AÑA. Qui cœlorum contines.....</i>	111
	<i>&amp; haec dicitur semper.</i>	104
10	<i>Dedicationis Almae Eccles. Legion. Duplex primæ classis in tota Diœces. in Civitate cum Octava. . . . . Ibidem usque ad . . . . .</i>	107
21	<i>Præsentationis B. M. V. Duplex majus.</i>	ib.
27	<i>SS. Facundi &amp; Primitivi mart. Duplex.</i>	108

## DECEMBER.

15	<i>Octava Conceptionis B. M. V. . . . .</i>	112
23	<i>Festum Translationis S. Isidori Confes. Pontif. Duplex.</i>	113
31	<i>Festum Translationis S. Jacobi Apostoli Duplex majus, ut in Breviario in SS. Hisp. . . . .</i>	115

*ORDO perpetuus recitandi Añas. proprias, in Breviario assignatas sex feriis ante Nativit. Domin. . . . A 116 usque ad. . . . . 124*







28

OFFICIA  
NCFORG

871